

## **Dissertatio medica inauguralis, de Paracelso.**

### **Contributors**

Maris, Janus Cornelis, 1810-1840.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Lugduni Batavorum, 1832.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/f479v7uk>

### **Provider**

University of Glasgow


### **License and attribution**

This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>





Glasgow  
University Library



Ferguson Collection  
1921


*Ap-y. 23*




Digitized by the Internet Archive  
in 2016

<https://archive.org/details/b24927284>









1878

P. 386

GLASGOW  
UNIVERSITY  
LIBRARY

Apr. 23.

Maris. Paracels.



Davidson.





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

**P A R A C E L S O.**

JANUS CONSILIUS HABIT.



6/

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE

P A R A C E L S O.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

**P A R A C E L S O,**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

**CASPARI GEORGII CAROLI  
REINWARDT,**

*PHIL. ET MED. DOCT. PROF. ORD.*

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

*IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

**JANUS CORNELIS MARIS,**

*EX URBE BRABANTIAE SEPTENTRIONALIS  
WILLEMSTAD.*

AD DIEM IX JUNII MDCCCXXXII, HORA I—II.



*LUGDUNI BATAVORUM,*

APUD J. C. E M E I S.

MDCCCXXXII.



DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,

DE

P A R A O E L S O .

GRAM.

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

CASPARI GEORGII CAROLI  
REINHARDT,

PHIL. ET MED. DOCT. PUBL. ORDI.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMUS IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUCIDUNO-BATAVNA,

RITE ET LEGITIME CONSERVANDIS,

DEBENDIT

JANUS CORNELIUS MARIUS,

ET VICE PRÆSENTIAE SEPTEMBRIS  
WILHELMUS.


ANNO DOMINI MDCCCXXII, MENS I-II

—————

LUCIDUNI BATAVORUM.

—————  
TYPIS J. G. LA LAU.

MDCCCXXII



**P A T R I**  
**OPTIMO CARISSIMO**

ET

**PRAECEPTORIBUS**

*Sacrum.*



P A T E N T

OPTIMO CARISSIMO

ET

PRAECEPTORIBUS

Sacrum.

## PRAEFATIO.

---

**P**auca mihi praefanda esse duxi, ne Lector, si quis forsitan mihi obtingat, nimis miretur, me hac aetate argumentum tractasse ex historiae medicinae petito. Diu profecto de materie elaboranda viribus meis non impari cogitans, in ea suscipienda anxius haesi. Quandoquidem autem a primo inde tempore, quo in hac Academia in salutiferam artem incubui, studium historiae medicinae cum propter utilitatem, tum propter insignem, quam praebet dulcedinem, maxime mihi placuit, animum meum incitatum sensi, ut in hanc illamve partem accurate inquirerem. Cujus quidem dum multa, quae continet, mentione dignissima perlegebam, seculum decimum sextum potissimum mihi arrisit, quippe quo plures vixerunt viri, quibus plurimum ob restorationem medicinae debemus. Attamen prae aliis admirabar PARACELSUM, cujus singularis doctrina multos magnosque in omnibus fere Europae partibus cultores, nec tamen minores adversarios naeta est. Et quamvis saepius, si quem de mira hujus viri doctrina dicentem audirem, risum vix tenere possem, nihilo secius ad inquirendum incitabar, quomodo tandem ad talem, qualem professus est, doctrinam pervenire potuerit PARACELBUS.





*Ex PARACELSI igitur scriptis ejus doctrinam explicare, est, quod in conscribenda hac dissertatiuncula mihi proposui. Cui quidem consilio ut melius satisfieri posset, primo de seculo, quo vixit, agere statui, tum de ejus vita ac doctrina universe, dein de ipsius Pathologia, remediis et Chirurgia, quibus denique Consectaria quaedam adjungere animus est.*

*Priusquam vero praefandi finem faciam, pium mihi superest officium: ut Vobis nimirum omnibus, Viri Clarissimi! quos fata feliciora Praeceptores mihi concesserunt, gratias agam, quas ago quam maximas; et inprimis tibi Clar. PRUYS VAN DER HOEFEN! Promotor Aestumatissime, qui multa eaque insignia benevolentiae mihi dedisti specimina. Semper tua beneficia, summaque de me meisque studiis merita grato animo meminero, nec consiliorum auxiliorumque, ultimis inprimis hisce diebus a te acceptorum recordatio unquam animo excidet. Justas igitur accipe grates, quas candido et sincero tibi offero animo, offeramque semper.*

*Vobis denique, Amici integerrimi (quos inter inprimis compello, quibuscum sodalitio, cui nomen Erudiendo et Oblectando, interesse mihi contigit), Valedico. Mei dum saepius, ut precor, memores sitis, fausta vestra sint fata. Vivite felices!*





DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
**P A R A C E L S O.**

INTRODUCTIO.

**Q**uicumque aliquid de quodam viro conscribere velit, praesertim attendat oportet ad aevum quo vixerit, ut rectum de eo iudicium possit ferre, se transferat in aliorum ingenia, et in aliam hominum aetatem. Quod cum intellexerim, non ineptum fore credidi, si quid praemonerem de seculo, quo vir ille vixit, de quo quaedam tradere conabor.

Seculum hocce erat XVI, certe maxime memorabile. In eo ab una parte lux affulgebat, ab altera erant tenebrae. Medicina Hippocratica simul cum studio litterarum renascebatur, sed



longe tamen lateque dominabatur superstitio, praesertim in Germania, ac si insania rationi bellum indixisset. Mysticismus et omnis generis superstitio omnium fere hominum mentes tenebant. Daemonomania multorum ingenia occupabat, et sub nomine haereticorum infelices illi damnabantur, inprimis postquam A°. 1484 prodierat edictum pontificis maximi INNOCENTII VIII, quasi ad magiam extirpandam, sed revera potius ad augendam potestatem ordinis Ecclesiastici. Ab eo inde tempore homines, qui cum diabolo foedus iniisse accusabantur, et si crimina confiterentur, lento igne concremabantur (1). Foeminae, ad quas praecipue suspicio hujus criminis pertinebat, lamiae dicebantur, et ut has dignoscerent multa experimenta crudelia in usu erant, quorum usitatissimum illud erat, quo ipsas aquae injiciebant, quod si non submergerentur, sed supranatarent, manifestum id erat indicium veras esse lamias.

Multum tamen tempori tribuendum esse putarem, nam neque ipsi religionis Christianae reformatores ab omni superstitione erant liberi; epidemice quasi regnabat insania religiosa, homines nempe aminos semper in unam notionem defixos habentes, facili opera monomaniaci fie-

---

(1) Cf. SCHELTEMA, *Geschiedenis der Heksenprocessen*.



bant, et propter proscriptiones, caedes, exilia, in maniam incidebant. Quod cum intelligeret JOH. WIERUS, horum maniacorum causam suscepit, docens, foeminas istas, quae ita excruciantur ut faterentur se cum diabolo foedus iniisse, esse foeminas melancholicas, somniis visionibusque agitatas, propter phantasiam vitiatam, quapropter eas Principum clementiae commendabat, et insanientium poenas deprecabatur. Huicce viro praeclaro, primus enim erat, qui audacter superstitionem oppugnare tentaverat, sese opposuit JOH. BODINUS, qui magos re vera existere et diabolo duci contendit, ipsumque probum WIERUM, qui magicas et diabolicas artes negaverat, magum esse ostendere conatus est, impium, profanum, ultimoque supplicio dignum.

Nec minus superstitio hujus aevi apparet e controversia de vi strumas solo contactu sanandi, num ea Galliae, an Angliae regibus divinitus concessa sit; quae sanationes solemnibus religiosis ritibus perficiebantur, tanto aegrotantium accursu, ut saepe supra mille et quingentos ex diversis regionibus numerarentur, qui sola Regis salutifera manu sanari posse credebantur. Huc etiam pertinet historia de aureo dente molari pueri Silesii, quem praesagire seculum aureum Christianum alii contendebant, alii contra cre-



debant meras esse Daemonis praestigias. Insuper colebantur Necromantia, Chiromantia, Astrologia et Alchymia, a quibus scientiis ne eruditi quidem abhorrebant, imo vero summopere iis incumbabant. Inter eas tamen Alchymia plurimos habebat cultores, cum putarent hujus artis ope aurum confici posse, quare Reges ut divitias sibi pararent, Alchymistas in aulas alliciebant.

In medicina huc usque systema Galeni vigerat, attamen hocce seculo viri vivebant, qui sese ejus doctrinae opponere ausi sunt, et ejus medendi methodum despexerunt. Inter hos medicinae reformatores sufficiat nominare FERNELIUM, cujus doctrina de calido innato, postea ad dynamicam rationem multum contulit; nec non ARGENTIER, qui inter summos doctrinae Galenicæ obtrectatores pertinet; et qui eum secutus est, LAURENTIUM JOUBERT.

### § 1. *De Paracelso.*

Illa tempora, de quibus monuimus, pepererunt AUREOLUM PHILIPPUM THEOPHRASTUM PARACELSUM BOMBASTUM ab HOHENHEIM. Scriptores, qui de eo egerunt, non inter se conveniunt, sed id tamen certum videtur, eum natum esse A°. 1493. in pago *Einsidle* in *Helvetia*,



gente nobili. Instituebatur a patre medico WILHELMO ab HOHENHEIM, simulque a multis Clericis et Chemicis, quorum nomina in ejus scriptis inveniuntur, uti ab Episcopo SETTAGIO, LAVENTALIO, a Chemicis PHREISINGENSI, et SPANHEMIO, quibus et aliis multum se debere testatur (2); ita ut prima juventute magis Theologiam et Chemiam, quam Medicinam addiscret. Seculo reformatorum degens, plures, ut ii, animosos fautores ac adversarios habuit, quare ex iis, quae a multis de eo tradita sunt, ingenium hujus viri non facile dijudicari potest, et ipse saepe affirmat quid, quod alio loco negat, quod in perlegendis ejus scriptis, nec non obscurus loquendi modus, interdum lectori taedium movet, et eum abducat ab ulteriori perscrutatione. Mihi id saepe accidisse, libenter fateor. Ipse SEVERINUS, strenuus propugnator doctrinae Paracelsianae, dicit, se in ejus operibus difficultatum charijbdim invenisse, praeparationum aenigmate, nominum obscura novitate, contradictionum multitudine, et nova philosophandi ratione (3). Is tamen mihi videtur optime de eo judicium ferre posse, qui attenderit ad seculum, quo vixit, ad ejus institutionem, vitae rationem, mores, nec non ipsius scripta.

(2) *Chir. magna. T. III. p. 66. Ed. Genevae. 1658. fol.*

(3) *SEVERINUS, Idea med. phil. in praef.*



PARACELSUS igitur a patre nobili oriundus, et a Clericis institutus, multas regiones peragravit, nam diu in eodem loco manere non poterat. Incertitudo medendi methodi, ita ut ne unicus esset medicus, qui vel odontalgiam curare posset, eum incitaverat ad fontes sacrae medicinae indagandos. Singulari ratione videtur in eam opinionem fuisse ductus, ut putaret, hanc esse verum fundamentum, quo nititur medicina. »Saepe, in-  
 »quit, de hisce cogitanti mihi subibat opinio,  
 »omnia esse fabulosa, et nullam exstare veram  
 »medicinam; hinc saepe haecce studia reliqui,  
 »recepti saepius, meae quoque imperitiae conscius,  
 »non quid mihi videretur sentiendum esse, sed  
 »quid alii sentirent, addiscere oportere collige-  
 »bam. Quamobrem, omnibus Germaniae, Gal-  
 »liae ac Italiae Academiis inspectis, eorum dog-  
 »matibus assentire plane multis de causis incon-  
 »sultum videbatur, verum ulterius quoque His-  
 »pania, Portugallia, Anglia, Borussia, Lituania,  
 »Polonia, Pannonia, Vallachia, Transsylvania,  
 »Croatia, Illyria, imo omni Europa peragrata,  
 »undique non solum apud medicos, sed et chi-  
 »rurgos, tonsores, aniculas, magos, chymistas,  
 »nobiles ac ignobiles, optima ac secretiora, quae  
 »uspian exstarent remedia, inquisivi acriter, sed  
 »hoc effeci solum, ut denuo medicinam artem  
 »esse inconstantem et vetitam crederem, eamque



» daemonum saltem illusionem quamdam esse opi-  
 » narer, totamque relinquere, alia studia capes-  
 » sens, donec tandem perlecto Euangelio, illo  
 » CHRISTI dicto: sani medico non indigent, sed  
 » aegri, intelligere coepi, non posse non hanc  
 » artem, juxta CHRISTI verba, constantem, cer-  
 » tam, perpetuam et veracem esse, nihilque hic  
 » casui, nihil superstitioni, nihil daemonibus ad-  
 » scribendum. Itaque iterum resumptis ac relic-  
 » tis, quae olim audiveram a professoribus, tum  
 » quae ab antiquis in re medica memoriae tradita  
 » erant, intellexi veram ac genuinam medicinae ra-  
 » dicem a nemine illorum umquam intellectam (4).”

Hisce causis permotus videtur primum in Chi-  
 rurgia periculum fecisse. Ex alio loco apparet,  
 eum medicum castrensem fuisse, nam ibi narrat,  
 quod, si milites febribus ardentibus epidemicis  
 laborabant, vulneribus asperas cuticulas superve-  
 nisse, similes iis, quae linguas molestabant. Im-  
 primis tamen terras metalliferas petiit, et Alchy-  
 miam coluit. A°. 1527. Professor medicinae crea-  
 tus est in Academia *Basiliensi*, ubi novo et inau-  
 dito hactenus exemplo artem Germanico idiomate  
 docuit, magnâ undique auditorum frequentia (5).

(4) *Praef. ad Chir. magn.*

(5) *Chir. min. T. III.* Ibi dicit: Ego amplo Dominorum  
 » Basiliensium stipendio invitatus, duabus quotidie horis  
 » tum activae, tum inspectivae medicinae, physices et  
 » chirurgiae libros, quorum ipse auctor, summa dili-  
 » gentia, magnoque auditorum fructu, publice inter-  
 » pretor.”



Non diu tamen hoc munere functus est, nam ob mores impuros multis invisus, et propter certamina cum medicis, odiumque pharmacopolarum (6), coactus fuit hanc urbem relinquere; et sic rursus ad vitam suam inquietam, errabundam rediit. Nunc rursus ab una urbe ad alteram iter faciebat, interdum aditus ad urbem ei non patebat, atque sic post multos casus, multaque discrimina rerum, tandem A°. 1541. *Saltzburgii* ab amico suscipiebatur et fovebatur, sed paulo post eodem anno mortuus est. Ante mortem testamentum suum fecerat, in quo omnia sua bona pauperibus donabat, exceptis suis libris. Numerus librorum certe non magnus fuit, nam ipse testatur, bibliothecam suam adeo tenuem esse, ut vix sex descripta folia complere posset, et se decennio nullum librum legisse (7).

PARACELsus erat homo paradoxus, obscurus, inquietus, audax, sed, si attendamus ad opportunitates, quibus singulare illud ingenium ad suam pervenit maturitatem, non miramur, ejus scripta ubique Alchymiae, Astrologiae et Theologiae esse plena. Erat enim superstitiosus, agrestis, morae impatiens, hominum infimae plebis familiaritate

---

(6) *RIXNER und SIBER, Leben und Lehrmeinungen berühmter physiker*, I. heft p. 7. Et op. PARAC. T. I. p. 239, ubi de pharmacopolis verba faciens, dicit: »quamdiu » cum suis mortariis supersunt, tamdiu medicina nihil » aliud erit, quam ruditas, inscitia, rapina.»

(7) *Fragm. med. T. I. p. 165.*



utebatur, in regionibus praesertim metalliferis vitam errabundam degebat. Vivebat eo tempore, quo ingentes factae sunt, cum in orbe Theologico, tum in orbe Litterato, rerum conversiones, quo priscas res abrogare, novas instituere, omnemque mundum reformare tentabant homines. Quid mirum igitur ex tali ingenio, sub hisce conditionibus, prodiisse medicinam mysticam, chemicam, in officinis Alchymistarum quasi paratam.

Ex iis quae ipse fatetur, optime agnoscimus virum agrestem, »e filo quidem, inquit, subtili natura me non texuit, ficibus non alimur »aut similibus, cibus noster est caseus, lac et »panis avenaceus. Humanitati non studeo, aut »verborum blandimentis operam do, durus sum »in aegros, dum mihi non obediunt, sed hoc »in eorum salutem facio, ut citius sanescant. »Famuli ac discipuli meae ansteritatis pertaesi »me relinquunt, sed qui non iracundus essem, »si clam me apud aegros criminando ipsi succedunt, et, me inscio, clam mercede dimidia »accepta, curam illorum aggrediuntur, dicentes, »se omnia mea secreta nosse. Scelus hoc in »me commiserunt Doctores, Chirurgi, tonsores, »discipuli, pueri etiam. Et tamen post haec »omnia agnus essem, mirum, ne lupo saevior »sim. Non magna recepta scribo, quia artem



»non exerceo in molumentum pharmacopola-  
»rum, sed in salutem aegrotantium (8).»

Alto supercilio despexit libros et doctrinam,  
et gravissimos quoscunque auctores. » Certe,  
» inquit, ita manifestabimini artem vestram nul-  
» lam aliam esse, quam quae principibus, mag-  
» natibus, regionibus integris imponat. Quare  
» me sectabimini, non ego vos, me sectabimini  
» tu Avicenna, tu Galene, Rhases! Non ego vos,  
» sed vos me sectabimini, vos, dico, Parisienses,  
» Colonenses, Viennenses, tu Graece, tu Arabs,  
» tu Israëlita, nec quisquam vel in extremo an-  
» gulo latitabit, quem canes non permangent.  
» Ego Monarcha sum, mea ipsa Monarchia erit.  
» Veniet tempus quo, omnes sub jugum philo-  
» sophiae meae trahem, et quo vestrum Plinium  
» Caco-Plinium, Aristotelem Caco-Aristotelem  
» vocabitis. Nostra Alchymia vestrum Aescula-  
» pium, Avicennam ac Galenum exurendo in al-  
» cali excoquet. Vae ergo miserae Galeni ani-  
» mae! Nam si in medicina immortalis fuisset,  
» manes ejus in abyso inferno, unde ad me  
» litteras mandarunt, quarum datum erat in  
» inferno, non essent sepulti. Nunquam putas-  
» sem, tantum medicorum principem in podi-  
» cem diaboli involare debuisse (9).» Multis

(8) *Defensio VI. T. I. p. 260, 261.*

(9) *Paragr. T. I. p. 183.*



aliis locis vehementer in medicos sui aevi invehit, eosque adulterinos, ignorantes, ac monstra iis, quae Joannes in apocalypsi vidit, foediora vocat. Omnia, quae ex iis hauserat, igni jam dudum commiserat. » Vos, inquit, amicitias » parastis submittendo, salutandoque, sed si quos » jugulastis aegri vitae suae reddi possunt, vos » et principem vestrum potius percacarent, quam » quiddam pristini honoris afferrent (10).» Causam, ob quam doctrina sua a medicis rejiciebatur, credebatur in eo quaerendam esse, quod alii eorum jam senes ac laboribus fracti quietem amabant, alii novitate pertaesi tam pigri ac vecordes erant, ut vix se ipsi loco moveant (11).

Multa dicta hujus generis arrogantiae plena in ejus scriptis inveniuntur, ita ut verum videatur, illum saepe ebrium libros suos confecisse, vel adjutoribus dictitasse. Nam jactatur: » Lanugo » occipitis mei multo plura scit, quam scriptores » vestri universi, et calceorum meorum annuli » doctiores sunt ipsissimo vestro Galeno, vel » Avicenna, et barba mea experientiae majoris » est, quam Academiae vestrae universae. Tem- » pori inhiabo, quo porci vos per lutum trac- » taturi sint (12).» Quum LUTHERUS eodem tem-

(10) *Philos. T. I. p. 225.*

(11) *Chir. magn. T. III. p. 106.*

(12) *Paragr. T. I. p. 186.*



pore viveret et in religione reformatoris munere fungeretur, nonnulli PARACELSUM cum eo comparaverant, sed de eo indignatus erat, »nam, ait, »quanto cum probro me objectastis, quod ego »medicorum Lutherus sum, Theophrastus sum, »quibus me confertis aliquando melior ac potior (13).»

Peregrinationes quam maxime utiles medico habebat, quia ipsi morbi passim oberrant ac di vagantur per universum mundum, nec uno in loco persistunt. »Qui plurimos morbos novisse »cupit, is peregrinetur. Peregrinatio plus animum excolit, plus iudicium firmat, quam »domi post fornacem consessio. Post fornacem »nullus bonus cosmographus, geographus nasci »potest. Convenit, ut medicus ad majora ac »graviora aspiret, omnes enim artes non intra »patriam inclusae sunt (14).»

Ex hisce satis constat, eum arrogantem fuisse, attamen non ubique ejusdem arrogantiae est, nam fatetur, se non omnia posse scire, neque accedentem ad aegrum statim ejus morbum cognoscere, quia morborum abditorum non tam facilis cognitio est, quam colorum externorum. »Sic etiam, inquit, aerarius peritus et sagax,

---

(13) *L. l. p.* 185.

(14) *Def. III. T. I. p.* 255, 256.



» si miseram quamdam primo videt, tamen  
 » nescit, quidnam sit, quid contineat, aut quo  
 » modo tractanda sit, quare etiam de morbis  
 » abditis diuturnis minime subitaneum iudicium  
 » ferri queat, quod forsitan ab humoristis temere  
 » tentetur, sed sic multos aegros pessumdant (15).”  
 Per tentationem autem et indagationem morbo  
 cognito, demum ad sanationem perveniri monet,  
 et hoc officium esse boni medici. Sic etiam dum  
 in medicos tam graviter invehit, tamen laudat  
 Hippocratem et Machaonem, qui purissimo me-  
 dicinae genio acti, prodigia, signa et opera  
 ingentia exhibuerant, et se lumina naturae prae-  
 stiterant (16).

PARACELSI inimici ei objecerant, quod mor-  
 bos incurabiles non potuerat sanare, sed indi-  
 cat, sibi hanc culpam non esse imputandam, quia  
 a DEO remedia ad eos non data erant, cum illi  
 contra ne vulnusculum quidem sanarent. Au-  
 tumabat tamen DEUM nullum morbum immi-  
 sisse, cui medicinam non creaverit, sed multa  
 secreta nobis latere (17). Quare numquam ae-  
 gro dicebat: juvari non potes, sed ego te ju-  
 vare non possum.

---

(15) *L. l. p. 262.*

(16) *L. l. p. 264.* In nonnullos Hipp. aphor. commentaria  
 dedit, quae inveniuntur in *T. I. p. 750—765.*

(17) *Param. T. I. p. 47.*



Ex hisce jam quodammodo efficere possumus, quare PARACELsus tanta libertate verborum in adversarios suos incurreret, semper enim eum persequabantur non solum dictis, factis, sed etiam litteris, ita ut nullibi tutus esset, et insuper eum Cacophrastum vocitarent. Hoc ejus animus agrestis et impetuosus non perferre poterat, quare non miramur eum refutasse, dicendo: »ars ipsa contra me non vociferatur, »est enim immortalis et super fundamentum solidum constituta, ita ut necesse sit prius cum »terra ipsum coelum frangi ac interire, quam »ea moriatur ac intereat. Me detestantur, quia »mea scripta cum illis veterum non conveniunt, »in quibus falsa inveniuntur. Mihi autem, quia »talia vera et fundamento superstructa produco »et inculco Cacophrastum dicunt, qui tamen »et natura, et baptismatis lege Theophrastus »nominor (18). Omnia, quae a vobis didici, »cum nive anni praeteriti evanuerunt. Vos ipsi Codro pauperiores vagaremini, si nempe sic »pergitis, extremaque egestate compulsi, vestrum stercus vorare cogeremini. Doctores lignei estis, qui semper curam cum ligno clauditis (19). Et sic alio loco pergit: »non dig-

---

(18) *Paragr. T. I. p. 182, 183.*

(19) *L. l. p. 187.*



»ni-estis, qui calceorum meorum vincula sol-  
 »vatis, vos asini urbici (20). Errores vestros  
 »detegam et retundam, vivus et mortuus, et  
 »vobiscum luctabor sine corpore (21). Per dia-  
 »bolum omnia peragitis (22). Ex me habetis  
 »radicem omnis verae medicinae, quam nemo  
 »mihi eripiet, etiam si Rhases cum tota sua  
 »turpi progenie rabiosus fiat, Galenus vero fel  
 »fiat (23).”

Hisce satis me indicasse confido, PARACEL-  
 SUM fuisse ingenii superbi, liberi. Quid in pectore  
 lateret, celare non poterat, quod cogitaret etiam  
 in ejus ore erat, quare eum optime ex ejus  
 scriptis et dictis cognoscere possumus, sed id  
 tamen semper tenendum est, illum, qui multa  
 loquitur, simul etiam levia, futilia et falsa pro-  
 bare conari, atque saepe easdem res diversis in  
 locis tractare, ut intemperantiae suae linguae  
 satisfaciat.

Inter multos, quos PARACELsus habuit, adver-  
 sarios, nominandus etiam est CONRADUS GESNE-  
 RUS, qui testimonium quoddam hujus viri dedit,  
 quod invenitur in ERASTI *disput. de nova medi-*

(20) *Philos. T. I. p. 233.*

(21) *Alchymia T. I. p. 214. Et in lib. de Mysteriis vermium  
 T. II. p. 219. dicit » licet corpus mihi quidem auferant,  
 » artem tamen non acquirant, nam in me abscondita est.”*

(22) *Prop. med. T. I. p. 217.*

(23) *De lap. philos. T. II. p. 138*



*cina* PARAC., ex quo patet, quid aequales de PARACELSO dixerint, quare non ab argumento erit alienum, si hic ejus verba afferam: »PARACEL-  
 »SUS nostro tempore vixit, qui veterum om-  
 »nium placitis contemtis, multa nova in artem  
 »medicam inducere conatus est. Vino et ludis  
 »deditus, nemini medebatur, daemone utebatur  
 »familiari, ut ex ejus discipulo audivi. Vir  
 »natura et eloquentia, quam litteris et studio  
 »doctior, prorsus inconstans, nunc Theologus,  
 »nunc medicus, nunc magus, saepe compota-  
 »tor et aleator inter rusticos. Audio tamen  
 »multos passim ab eo in morbis desperatis  
 »curatos, et ulcera maligna ab eo feliciter  
 »sanata. Callebat Chymisticam artem, qua li-  
 »quores, succos, olea et alia mira medicamenta  
 »parabat. In scriptis suis obscurus est.”

Sed simul adjungam testimonium datum a viro, qui inter liberaliores et eruditiores ejus temporis recensendus est, a PETRO RAMO nempe, qui quidem ipse non medicus, tamen studio litterarum deditus, multum ad verum studium medicinae restituendum contulit. »THEO-  
 »PHRASTUM PARACELSUM Basiliensis Academia  
 »lingua Germanica professorem habuit, qui in  
 »intima naturae viscera sic penitus introivit,  
 »metallorum, stirpiumque vires et facultates  
 »tam incredibili ingenii acumine exploravit, ac



»pervidit ad morbos desperatos et hominum  
 »opinione insanabiles percurandos, ut cum Theo-  
 »phrasto primum nata medicina perfectaue vi-  
 deatur (24).»

## § 2. *De doctrina Paracelsi universe.*

Si attendamus ad ea, quae PARACELSUM incitarunt ad medicinam colendam, et qua ratione ejus ingenium enutritum et instructum fuerit, quid mirum, eum etiam hanc artem miro modo tractasse, medicum sibi finxisse Alchymistam, ex igne prodeuntem, et se ipsum omnium medicorum principem dixisse. Quod ut appareat, ipsam ejus doctrinam pervestigemus, vel potius fragmenta medicinalia, quae magno numero conscripsit; nam quo modo vir tam inquietus, inconstans, doctrinam vel systema condere posset, aliud enim quid est naturam sibi fingere, aliud naturam rite observare: huc autem plane aliae animi dotes requiruntur.

Theoria ejus fere huc redit: primus atque summus medicinae liber est Sapiaentia, et liber hicce DEUS ipse est, solus enim DEUS medicum fecit, ut in veritate operetur, nam medicus apud DEUM non inferiori loco est, quam apostoli (25).

(24) *Chir. magna T. III.*

(25) *De propr. med. T. I. p. 217.*



Medicina a DEO defluit, sicut calor a sole, nihil in terra est, quod a DEO ad nos non pervenerit, quae precando, quaerendo acquirenda sunt. Alter liber Firmamentum est. Qui hunc librum non cognoscit, nec medicus esse, nec dici potest, descripsit enim ille, cui ad docendum papyro non opus est; nullum alium librum medicus habeat, quam hunc unum, qui homines et aegros et sanos reddit. Tertius liber est Elementorum: in homine quatuor elementa essentialiter insunt, inque illis similes omnino species et generationes fiunt, ac in mundo externo; si medicus ipsa elementa perdiscit, facile omnes morbos inveniet, quibus homines afficiuntur, simili enim ratione morbi in homine ex elementis producuntur. In libro quatuor elementorum hominem descriptum reperiet; natura textum facit, huic medicus glossam addit. Porro medicus etiam pervolvat librum Physicum, Alchymiae et Experientiae. Ex libro physico novit quam variae corporum species in uno physico corpore existant, nam is demum verus medicus est, qui species in physico corpore ita dijudicare et nominare potest, ut dicat, hoc in homine Sapphyrus est, illud Mercurius, istud Cypressus. Ex praxi constituitur theoria, nam non sufficit, hominem foris conspici, dein dissecari, tandem coqui atque iterum pervideri, nam idem norunt



rustici, sed medicus sit philosophus, mundum majorem cognoscat, ut intelligere possit mundum minorem. Ubi philosophus desinit, ibi incipit medicus.

Experientiam summopere utilem esse medico monet, quia longus est morborum numerus, quare ad senium usque perdurare debet, cum medicus non fit addiscendo logomachiam Avicennae vel Galeni. » Medicina, inquit, nihil » aliud est, quam magna certaue experientia, » quacum scientia jungenda est, quae tamen a » DEO innata est (26).»

Certe jam hic nonnulla pulchre dicta offendimus, sed semper obscuro velo obiecta, et mysticismo involuta. Nam prius quam medicus aegros curare auderet, requireretur, ut hos libros perlectos haberet, et quis est, qui intelligit, quomodo id perfici queat, et quid inde proficisceretur.

Praeterea alia suae doctrinae fundamenta tradidit, quae sub titulo nempe columnarum medicinae depinxit. » Primum, inquit, fundamentum » positum est in philosophia.» Veteres philosophos spernit, ex quorum philosophia medici nati erant spumosi et fungosi, qui nil nisi fungos et spumam tractant. Fusius hic demonstrare conatur, hominem non cognosci posse nisi ex

---

(26) *Labyrinthus med. T. I. p. 267—277.*



mundo externo (27), quam sententiam ubique probare tentat. Secundum eum, nihil quidquam vel in coelo, vel in terra existit, quod in homine non vigeat, quare ex ipso homine istarum rerum nec fundamentum, nec scientia ulla educitur (28). Si medicus hominem, et ejus morbos recte perspicere velit, rerum universarum morbos, quos natura in mundo magno patitur, perspectos habeat (29). Hanc viam philosophia monstrat, extra quam omnis disquisitio falsa habenda est. A natura ipsa omnis medicina promanat, et ex ea nascitur medicus, nam homo est imago mundi externi. Ab externis hominem medicus discat, quid illi incommodet, ibi enim inveniet ejus cor, omnem cordis laetitiam ac dolorem, cerebrum et quaecunque cerebrum afficiunt. Hinc non dicendum esse docet, Choleram, Melancholiam, quia haec omnia in natura non inveniuntur, » nam quis, inquit, » in natura Choleram, vel in philosophia Melancholiam reperit (30).” Sic etiam ulcera vocat erosa minerarum emunctoria (31).

Ex natura gignitur medicus, et ex ea prodit

---

(27) *Phil. T. I. p. 188—194*

(28) *Param. Lib. IV. T. 1. p. 103.*

(29) *Param. Lib. I. T. I. p. 37.*

(30) *Philos. T. I. p. 190.*

(31) *Chir. magn. T. III. p. 124.*



morbus, quare illi, qui aliam sequuntur viam ad hominem cognoscendum, non per januam ingrediuntur, sed per tectum in domum descendunt; sic omnes Academiae Germaniae et Italiae per tectum descenderant (32), nam genuinum ostium erat lumen naturae, non Avicenna, Galenus, Rhases, Mesue (33). » Artes, » ait, faciunt medicum, neque Academiae, neque tiara, neque annuli (34).» Ex macrocosmo homo cognoscitur, nam omnia, quae in mundo externo sunt, etiam in homine inveniuntur; quia homo filius mundi est, in ipso viget natura omnium fructuum, terrae, omnium metallorum; nihil in terra, cujus naturam et virtutem in se non exhibeat, nam adeo subtilis fuit limbus, ex quo DEUS hominem creavit (35). » Quare enim, inquit, homo edit? quia e terra » est. Cur bibere appetit? quia ex aqua est. » Cur respirat? quia ex aëre est. Cur calescit? » quia ex igne est (36).» Ut nunc insuper lucide monstret, omnia in homine macrocosmo esse similia, dicit: » pulsus continetur in firmamento, physiognomia in astris, chiromantia

(32) *Philos. T. I. p. 232.*

(33) *Labyr. in praef. T. I. p. 266.*

(34) *De morb. Tart. T. I. p. 310.*

(35) *De orig. morb. invis. T. p. 129, 130.*

(36) *Astron. T. I. p. 201.*



» in mineralibus, spiritus in Euro et Zephyro,  
 » febres in terrae motibus. Has res si medicus  
 » a verbo ad verbum ita callet, videt, ac in-  
 » ternoscit etiam extra hominem omnes morbos.  
 » Quodsi ergo homo cum omnibus suis affecti-  
 » bus, ita in te effigiatus et expressas jacet,  
 » tum ad interiorem hominem penetra, medicum  
 » age, urinam speculari, pulsum tange, et per-  
 » sonam judica (37). Oportet eum omnium  
 » hominum medicum esse, et quomodo id sciet  
 » ex uno, decem, centenis, nam in uno unus  
 » morbus est; ideo mundus suppeditare debet,  
 » is enim homo, qui ita ex mundo majori cog-  
 » noscitur, omnes in se habet morbos, tam de-  
 » functorum, quam adhuc nascendorum. Qui  
 » ex ipso homine discit, nil nisi experimentator  
 » erit, quod numquam consilium DEI fuit, nam  
 » tunc melius esset, si nullus medicus creatus  
 » fuisset (38).” Ob eandem causam nomina  
 morborum mutanda esse credebat, nam non  
 aequum habebat dicere, hic est cholericus,  
 sed dicendum est, ille est arsenicosus, hic alu-  
 minosus, iste est morbus *Antherae*, aegritudo  
*Pulegii*, morbus *Melissae*. Sic etiam non di-  
 cendum est, hoc est vitium sanguinis, hepatis,

---

(37) *Phil. T. I. p. 191.*

(38) *Astron. T. I. p. 195.*



stomachi, cum nemini lynceos oculos dederit DEUS, quibus scire possit, num sanguis vel hepar in causa sit; quare potius dicendum est, hic est morbus *Terebinthinus*, *Helleborinus*, *Hermodyli*, *Colocynthidis*, *Colica Sibithina*, *Iliaca Moschata*, nam diversae habentur morborum species, pro diverso arcano, quo curantur (39). Alio loco aegros denominat secundum morbos, quibus laborant, et dicit: hic est homo cancri, homo lupi, homo pestis, homo febris, profluvii, menstrui, vermium (40). Porro industria medici consistit in eo, ut sciat, quae res invisibiles vel juvent, vel laedant, quid visibile, quid invisibile, quid dulce, quid amarum faciat, quid olfaciat, quid mors sit, quid DEUS, quid Daemon, quid venenum, quid ei adversum, quid discriminis mulierem inter et virginem. Medicus igitur, naturae lumine ductus et spiritu sancto accensus, debet scire omnium rerum causas, quid illud sit, quod in plumbo liquescit, quid sit durities in ligno, quid colores in rubino, quid in atramento nigrum faciat, haec enim qui sciat, philosophus est, et DEUS nobis philosophiam proposuit, ut ex ea docti fieremus (41).

Nunc videamus, quid de Astronomia, altera

---

(39) *L. l. p.* 190, 191, 227..

(40) *Labyr. T. I. p.* 284.

(41) *Astron. T. I. p.* 195.



medicinae columna, dixerit. Qui verus medicus esse cupiat, versatus sit in Astronomia necesse est, nam in homine etiam insunt duo poli, linea lactea, zodiacus. Omnia patitur homo, quae terra et coelum patiuntur, attrahit ea, quae in ipsis sunt, nam homo in se continet astra. Sic cor Sol est, pulmo Mercurius, hepar Jupiter, lien Saturnus, cerebrum Luna, bilis Mars, renes Venus, quae cognoscenda sunt, cum homo filius coeli sit, et e patre cognoscatur filius (42). Quapropter non dicendum est, hoc est frigidum, calidum, vel siccum, sed hic Saturnus, illic Mars, istuc Venus, ibi polus. Sic etiam effectus medicamentorum non derivandos esse credit ab eorum viribus, sed ab astris, quare Melissa non est vocanda matricalis, Majorana capitalis, nam id in Venere et Luna positum est. Coelum medicinam regit, eam possidet, et in eo quaerendum est, si idem medicamentum diversos in hominibus effectus exserat (43), nam in corpore humano stellae et planetae eosdem motus perficiunt, ac in coelo (44), et hanc ab causam necessarium est, ut medicus adscendentium et conjunctionum, planetarumque exaltati-

---

(42) *Param. T. I. p. 19, 20.*

(43) *Paragr. T. I. p. 196—207.*

(44) *Param. T. I. p. 19.*



onem, omnemque adeo constellationem cognitam habeat, eamque probe sciat et intelligat (45).

Jam verbo monuimus eum Alchymiae fuisse cultorem; hanc artem etiam inter columnas medicinae collocat. Ejus ope arcana sua, quae praesertim in deliciis habebat, praeparabat. Opinabatur, hanc artem medico utilissimam esse, nam scire debet, quid sit calcinare, sublimare, ut intelligat, quomodo arcana praeparentur (46). Alchymiae ope venena e substantiis separantur, et sic omnia utilia redduntur; aurum enim ad nihil utile, nisi prius igni committatur, sic etiam medicina, ipse medicus ex igne nascitur (47). Haecce ars e medicina tollit, quod medicinae non est, inutile ab utili separat, et in ultimam suam materiem reducit. » Omnes, inquit, res » creatae sunt ad nostrum usum, sed minime » sunt perfectae, quare igne sunt emendandae, » et ob id ars proba est (48).» Sine Alchymia putat medicinam nihil aliud esse, nisi crassam et rudem praeparationem medicamentorum, quare medicus suis aegris vera arcana propinet, et non meras farturas et cocturas (49). Hic rur-

---

(45) *Astron. T. I. p. 201.*

(46) *Alchym. T. I. p. 209.*

(47) *Param. T. I. p. 32.*

(48) *Labyr. T. I. p. 273, 274.*

(49) *Alchym. T. I. p. 212. et Labyr. p. 275.*



sus hominem macrocosmo similem fingit, nam docet, totum mundum naturae apothecam esse, et hominem in se similem apothecam continere, in qua omnia inveniuntur non minus quam in mundi officina. E libro magnae apothecae medicus debet discere et se ad internum congenitum medicum accommodare, nam homo a natura destructorem sanitatis accepit, sed simul etiam conservatorem, v. c. » destructor, inquit, » in microcosmo realgar sumit, et veneno microcosmum jugulare tentat, conservator autem » flores Antimonii propinat, et eum vincit.” Sic saepius hydropes ac phthises sanari, opera naturalis et congenitae medicinae, affirmat. Ergo credit, medici esse, destructorem debellare et superare, vestigia illa legere, quae digressus conservator inchoavit (50).

In homine Alchymia interna existit, quae alimenta ad ultimam substantiam reducit, ut ea, nempe coquendo et digerendo, sanguis et caro fiant. Alchymista hicce in ventriculo habitat, veluti in instrumento suo, statim assilit cum cibo in ventriculum delabitur, ut separationem instituat, ne corpus veneno laedatur (51). Alio loco dicit, calorem hominis e ventriculo oriri,

---

(50) *Labyr.* p. 277—279.

(51) *Param. T. I.* p. 14.



et sic corpus calefacere, qui calor externo igni non dissimilis est, cum in ventriculo potenter coquit et digerit (52).

Omne corpus constare ex tribus substantiis, ex Sale, Sulphure et Mercurio, contendit; sed de his dein plura videbimus.

Anatomiam neque physiologiam recte coluisse videtur, hisce enim scientiis ejus ingenium non erat aptum, nam huc requiruntur summus veritatis amor, judicium ab omnibus praejudicatis opinionibus liberum, constantia et patientia. At tamen loquitur quidem de Anatomia, eamque duplicem esse docet, *localem* et *materialem*; illa spectat sedem ossium, carnis, venarum et aliarum partium, haec exponit, quid sit sanguis, atque quomodo sulphur, mercurius et sal adsint. Latiori sensu hac voce usus est, nam affirmare non dubitat, Anatomiam rerum quas assumimus, non differre ab ea nostri corporis, » homo, inquit, foris suam Anatomiam habet, » quam medico compertam esse oportet, quia » per eam ad cognitionem trium substantiarum » penetrare potest (53).» Etiam distinguit Anatomiam foeminarum ab ea virorum, » id per » suasum habe, mulieris cerebrum muliebre esse, » non virile, et foeminam alii radici incumbere,

(52) *L. l. p.* 50.

(53) *Param. T. I. p.* 41, 42, 46.



» nempe matrici, propter quam genita est, et simul  
» naturam et conditionem ex ea habere (54).”

Interdum uterum vocat vas, quod concipit, condit, atque tuetur infantem, et propter quod solum foemina existit (55). Hic rursus ut conceptionem explicet, sese ad astra confert, nam ut foemina concipiat, (ut ejus verbis utar) oportet virum mulieris astrum, firmamentum et coelum esse, nam ex influentia ac impressione foemina constellatur a viro; quae qui noverit, verae medicinae viae insistit (56). Multa insuper huc pertinentia in libro de *Generatione* inveniuntur, sed vix memoratu sunt digna, etenim ex iis etiam apparet eum ingenii fuisse subtilis, sed similis superstitiosi. » Sperma, inquit, non semen est, » semen enim non materiale, sed speculativum » est, quod in imaginatione positum est. In » viro et foemina a speculatione liquor vitae » accenditur, semenque fit alterius hominis, » quod per omne corpus distributum existit (57).”

---

(54) *L. l. p.* 89.

(55) *L. l. p.* 98, 99.

(56) *L. l. p.* 101.

(57) *De gener. hom. T. I. p.* 153, 154. *Et in Lib. de Tart. p.* 453, ubi dicit: » Sperma in toto corpore est, nullum membrum est, quod non habeat humorem spermaticum: Quod ipsi dicunt, sperma generari in testiculis, mentitum est, nam dispersum est per totum corpus, et primo vadit ad separationem suam, et deinde ad testiculos, ubi concoquitur, et fit crystallinum sperma.”



Ubique in hoc tractatu videtur ea opinione abreptus, omnem corporis partem suam liquorem vitae afferre ad foetum formandum; et monstra nasci ex vitio hujus liquoris, vel ex petulantia uteri, vel ex phantasia foeminae depravata, vel ex desiderio cujusdam alimenti, » nam, inquit, » si foemina gravida ingenti cum aviditate can- » crum edit, appetitus ille non est e ventriculo, » sed e matrice, et cum foemina huic desiderio » non satisfaciat, matrix irascitur, foetuique no- » xam affert (58).”

Num PARACELSUS inter medicos Dynamicos referendus sit, dubitarem, quamvis tamen non negari potest, eum de principio vitae cogitasse, quod saltem, ut mihi videtur, ex nonnullis locis constat. *In libro de vita longa*, eum sic loquentem audimus: » cum vitam brevem ad longam conferre debeamus, scitu necessarium est, » quid vita et ubinam sit, quo minui vel augeri » queat; vita suam originem sumit ex quadam » re, cui nulla tamen inest, ut ex semine, ra- » dice, similibusque, simili modo ac ignea scintilla ex silice per vim entis. Jam in considerationem venit, utrum ea produci queat, » emendari, fortificari, cum sit incorporea, res- » que volatilis, igni perquam similis (59).” Alio

(58) *L. I. p. 164.*

(59) *De vita longa. T. II. p. 48.*



loco vitam comparat cum mummia quadam balsamita, quae corpus a mortalibus vermibus et eschara conservat, quia in corpore continetur liquor vitae, ex quo corpus vivit. » Homo, inquit, in se continet sanitatem, aquam vitae, lapidem philosophorum, arcanum, balsamum, aurum potabile, et sic sibi ipsi medicus est (60).” Hinc etiam se jactatur elixirium ex auro possidere, cujus ope homo vitam suam ad senectutem protrahere valet, quia aurum corpus servat et ab omni aegritudine immune praestat (61). Tamen ipsi hoc elixirium non multum profuit, nam in ipso vitae flore jam extinctus est.

Non plura hic adjungam universalia *doctrinae Paracelsianae* capita, nam hisce jam certiores fimus, eum minime systema condidisse, sed potius quaedam fragmenta medicinalia tradidisse, in quibus phantasia rudis, inculta cernitur. Ex macrocosmo sapere voluit, ex quo solo microcosmum cognosci posse opinatus est. Ex Alchymia maximam partem suae doctrinae hausit. Medicinam et Theologiam inseparabiles esse putabat, quae numquam divortium facerent (62).

Sed videamus, quaenam ejus fuerit Pathologia.

(60) *Param. T. I. p. 52.*

(61) *De vita longa. T. II. p. 63.*

(62) *Param. T. I. p. 43.*



### § 3. *De Pathologia Paracelsi.*

Ad PARACELSI usque tempora, propter systematis GALENI in medicina dominium, pathologia humorum plurimos habuerat cultores. Theoria ista *humoristarum* huicce viro minime placere potuerat, quare etiam eorum doctrinam rejecit, et in ejus fautores graviter invehit, vocatque captatores pediculorum, asinos, eosque similibus nominibus adornat. Eorum medendi methodum spernens, ita loquitur: » nihil nisi stercora quae-  
 » runt, tractantque, unde eorum doctrina ad cly-  
 » mata, purgationes, similiaque directa est (63);  
 » ex illorum cura sequitur mortificatio aegrorum  
 » et desolatio, seu eversio sanitatis, nullo enim  
 » modo, vel jure corpus suo genuino elemento  
 » spoliari debet (64). In semina morborum non  
 » agunt, sed hominum sanitatem pessumdant.  
 » Quis ergo medicus in humoribus morbos quae-  
 » rere, et eorum originem ex iis explicare po-  
 » test, cum tamen illi ex morbis producantur  
 » ac gignantur, non morbi ex illis fiant. Quod  
 » morbus expellit et venenavit, pro morbo ag-  
 » noverunt (65). Humoristae de solis suis hu-  
 » moribus occinunt, qui minime praesto sunt.

(63) *Param. T. I. p. 199.*

(64) *Labyr. T. I. p. 286.*

(65) *Paragr. T. I. p. 242.*



» Turpiter illi errant, qui hominem adeo im-  
 » perite dividere volunt in quatuor humores,  
 » eumque ex his solis consistere, nam medici  
 » scientia tam late extenditur, quam universus  
 » mundus patet.” Quare secundum planetas mor-  
 borum cognitionem faciliorem esse quam secun-  
 dum humores asserit (66).

Cum humoribus etiam rejecit *temperamenta* et *proprietates elementares*, quia febris, etiamsi calida vocatur, tamen non frigidis curatur, nec ullus morbus calidus umquam per frigida sanatus fuit, nec frigidus per calida (67). Humores neque elementa, neque causas morborum esse contendit, sed duplex ponit semen morborum, *Iliastrum* et *Cagastrum*. Semen omne, quod a principio conditum est, vocatur *Iliastrum*, quod a corruptione nascitur, est *Cagastrum*. Morbi ex illo oriundi, sunt hydrops, aurigo, podagra; ex hoc pleuritis, pestis, febris (68). Alio loco morborum semina alia ratione explicat, ex naturae nempe universae phaenomenis, sic hydropem non nasci ab humoribus, neque ab hepate refrigerato statuit, sed hydropem esse *semen meteoricum*, quod in pluviam abit (69).

(66) *De morb. Tart. T. I. p. 315. Et Lib. de Magnete. T. II. p. 175.*

(67) *Fragm. med. T. I. p. 168.*

(68) *Labyr. T. I. p. 184.*

(69) *L. I. p. 281.*



Alias proponit morborum causas occasionales, et quidem quinque, quas *Entia* vocat, ex quorum unoquoque omnis morbus nasci potest, quare quinque sunt genera hydropis, morbi regii, febris, canceri, cet. Primum horum est *Ens Astrorum*, quorsum aër pertinet, qui odore, halitu, vel vapore stellarum corrumpi potest, quia astra sic faciunt ut aër acescat, amarescat, mercurio vel arsenico inficiatur, vel sale et sulphure. Medicus in curatione ad haec attendat oportet, nam frustra tentabit sanare morbos astrales, quam diu stella morbosa dominetur (70). Altera causa occasionalis est *Ens Veneni*, quorsum pertinent omnia ingesta, quae morbos inferre possunt, si Alchymista internus infirmus sit, ita ut venenum non recte separare valeat, et inde corruptio fiat (71). Tertia causa est *Ens Naturale*, quorsum totus corporis habitus pertinet; per hocce etiam crisis perficitur. Nunc sequitur *Ens Spirituale*; morbos nasci posse statuit, vel ex propria imaginatione, vel alterius hominis, quia spiritus miro et insolito amore vel odio sese mutuo possunt persequi. Spiritus autem duplici ratione morbos corporibus infligunt, vel se ipsi mutuo laedunt citra voluntatem ac con-

---

(70) *Param. T. I. p. 1—12.*

(71) *L. l. p. 13—17.*



sensum hominum, vel per cogitationes, sensus ac voluntatem cupiunt atque quaerunt alterius corpori noxam et damnum inferre. Sic etiam superstitiosus ille credit, aliquem furi, a quo suis orbatus est divitiis, inferre posse quid velit, si id modo in fictam figuram infligat, » nam, in- » quit, tunc spiritus tuus furis spiritum in figu- » ram eam coegit." Si duo spiritus inimicitias vel iras inter se alunt, alterque alterum laedit, tunc laesio spiritus est, et corpus jam aegrotat non materialiter, sed ex *Ente Spirituali* (72). Ultima causa occasionalis est *Ens Dei*, quatenus DEUS morborum auctor deprehenditur, nam omnes morbos provocare potest, sed simul tamen sanitatem et remedia largitur. Attamen medicus non recte scire potest, num aeger ex potestate Divina decumbat, nec ne, nam DEUS hoc occultat, quare nonnulli morbi nulla opera sanantur, si medicus credat, eos ex alio *Ente* esse natos (73).

Cognitionem horum *Entium* summopere utilem esse, et requiri, ut quis verus medicus dici possit, exclamat. » Nam, qui in iis rudes sunt, » phantastae sunt habendi, qui ex phantasia sua » nugantur, quibus nemo fidere potest (74)."

(72) *L. l. p.* 18—27.

(73) *L. l. p.* 27—29.

(74) *L. l. p.* 30.



De diagnosi morborum nonnulla in ejus scriptis inveniuntur, sic in *lib. de peste*, dicit, pestem cum ingenti ardore et inflammatione corripere, post aures glandulas tumefacere, vel bubones sub alis nasci, anhelitum, vel somnum profundum. In eodem libro agit de doctrina pulsuum, ubi pulsum vocat mensuram temperaturae corporis, pro conditione locorum a planetis occupatorum. Hos rursus cum astris confert, » sic, inquit, duo pulsus in pedibus conspicui, Saturni » sunt et Jovis, duo in collo sunt Lunae et Mercurii, pulsus in sinistro latere sub corde Solis est.” Pulsum celeriore indicasse credidit affectiones organorum principalium uti cordis, cerebri, hepatis, renum, splenis, pulmonum (75). Ad pulsum eum imprimis attendisse etiam ex alio loco patet, in quo multas differentias pulsuum enumerat; sic pulsus tartari durus est, pulsus sanitatis medius, cet., et simul notat pulsum non in uno, sed in pluribus corporis locis tangendum esse. Sic quoque describit pulsum, qui ad mortem tendit, in temporibus fortem, in collo debilem, in lateribus debiliorem, in pedibus debilissimum (76).

Signa etiam petiit ex urina, et subtilis videtur

(75) *De Peste. T. I. p. 370, 375.*

(76) *De pulsibus.. T. I. p. 791, 792.*



in dignoscendis diversis urinae speciebus, » in  
 » urina primum colores notandi sunt, sed ante  
 » omnia urina sana, tum virorum, tum foemina-  
 » rum, senum ac juvenum cognoscenda est, et  
 » postea aegrorum (77).” Detestatur tamen medi-  
 cos, qui nil nisi lotium inspiciunt, et monet, eos  
 solum radendi nummi causa medicinam exerce-  
 re (78).

Vidimus ergo, PARACELSUM fictitiam veterum  
 rejecisse humorum pathologiam. Certe laudan-  
 dus est ob contemptum doctrinae humoralistarum,  
 quae falsam in pathologiam induxerat theoriam,  
 ita ut crederent, humores primarias esse causas  
 morborum, et remedia in eos agere. Tamen  
 nostro etiam tempore medici sunt, a theoria illa  
 non plane alieni, sed hic non est locus inquiren-  
 di, num humores primarie affecti esse possint,  
 nec ne, quare potius hoc viris ingenio clariori  
 praeditis relinquo.

Attamen PARACELSUS certe majorem laudem  
 mereretur, nisi aliam doctrinam in ejus locum  
 substituisset, *Acrimoniarum* nempe, quae non  
 minus quam prior illa verae obfuit medendi  
 scientiae, nec minores peperit errores practicos,  
 cujusque nociva potestas ne hisce quidem tem-  
 poribus penitus deleta aut fracta videtur.

(77) *De Indic. urin. T. I. p. 793.*

(78) *Paraqr. T. I. p. 48.*



Corpus nostrum secundum PARACELSUM, uti jam monuimus, constat ex Sulphure, Mercurio et Sale. Quod ardet sulphur est, quod effumat mercurius; cinis, qui relinquitur, sal est. In hisce sanitas posita est, et ex his omnes morbi fiunt (79), non ex quatuor elementis, nam morbus quidem est vel calidus, vel frigidus, quae tamen nihil sunt praeter signa, minime morbi, quare in curatione non ad signa, sed ad causas attendendum est. » In colica, inquit, adsunt » tormina, ardor, paralysis, sitis, vomitus, nihil tamen faciendum nisi constipationem tollere; sic etiam in calculo lapis tollendus est, » quare culter in hoc morbo arcanum est. Qui » enim frigida calidis, et humida siccis opponit, » naturam morbi non intelligit (80).” Hae tres substantiae igitur si in bona proportione adsunt, sanitas adest, si contra dissolvuntur, mors sequitur (81). Ex unaquaque harum diversi morbi nasci possunt, pro ratione qua afficiuntur. Sic mercurius calore incenditur, ardet, adscendit, et per sublimationem infert maniam, phrenesin; si praecipitetur, provocat podagram, chiram; si destilletur, mortem subitanam, aut paralytin, porro etiam frigus, ardorem, rigo-

---

(79) *Param. T. I. p. 34, 35.*

(80) *L. l. p. 39.*

(81) *L. l. p. 51.*



rem, horrorem. Mercurius adeo subtilis est, ut et carnes et ossa penetret, atque extra poros pervadat, unde dein tunc pustulae, morbus gallicus, lepra nascuntur (82). Ex eo etiam oriuntur isti morbi, qui arterias, ligamenta, articulos, nervos occupant (83). » Acrimonia suae » volatilitatis, si se depurat, et nimis in spiritum abit, gignit maniam, amentiam, syncope, vesaniam, melancholiam. Nascuntur ex » spiritu mercurii, qui adscendens, exitumque » quaerens, cerebrum laedit, vel si nucham afficiat, ciet paralysin (84).» Ex sale quilibet morbus laxus generatur, ut sunt fluxus ventris, dysenteria, diarrhoea, lienteria (85). Si sal una cum sudore e corpore ejiciatur, tunc nascuntur serpigines, impetigines, pruritus (86). Ex eo etiam nascuntur colica, calculus, congelationes in venis, chiragra, schiatica, quorum causa est spiritus salis, quocum corpus salis concurrat, et in illis locis coagulatur. Porro etiam producit erysipelas, carcinoma, fistulam, et si sal intensissimum fiat, movet inflammationes (87). Sal corpori necessarium esse putat, ut hominem a

(82) *L. l. p. 56, 57.*

(83) *Lib. de 3. prim. Essent. T. I. p. 356.*

(84) *Fragm. med. T. I. p. 168.*

(85) *Lib. de prim. Essent. l. l.*

(86) *Param. T. I. p. 58.*

(87) *Fragm. med. T. I. p. 169.*



putrefactione servet, nam ubi deficit sal, ibi putrescit pars. » Sal enim corpus mortuum a vermibus servat, multo magis id faciet in vivo; quare sal omni cibo miscendum est, ut digestio in ventriculo rite paragatur (88).» Ex sulphure nascuntur febres, apostemata, icterus. Si sal a sulphure secedat et separetur, tunc sulphur putrescit, et sic in praecordiis facit pleuritidem, in ventriculo et hepate febres, in capite hemicraniam, dolores oculorum, dentium, aurium gravedinem, cephalaeam, similiaque (89). Febrem tamen etiam alia ratione explicat, et eam vocat morbum nitri sulphuris incensi, unde corpus quatit, horrorem facit, et sua intervalla habet (90).

Praeter morbos ex tribus substantiis profluentes, aliud genus morborum PARACELsus prolixè tractat, eos nempe, qui e tartaro oriuntur. Tartarus ille, uti sese explicat, ubique in corpore ex ingestis formatur, nam, uti vinum tartarum continet vasi adhaerentem, sic quoque lac, succi herbarum, leguminum. In ore jam ille tartarus separatur et dentibus agglutinatur, ubi tunc ciet putrefactionem gingivae, exesiones dentium, dolores et cruciatus, propter ejus acri-

(88) *De Natura rerum. T. II. p. 188, 189.*

(89) *Fragm. med. T. I. p. 168.*

(90) *Param. p. 43.*



moniam, cumque paroxysmo calculi in vasis conferri debet (91). In ventriculo ex hacce materie ardor gulae, angustia, diaphragmatis compressio, torturaeque aliae nascuntur; si ibi adscendat, ebulliat, elevetur, tum ejus acrimonia augetur, unde dein magnitudo et multitudo dolorum. Hicce aestus in ventriculo inducitur aut a cibo, aut a potu, aut a sale, una tamen tartari natura, quamvis multae dantur species. Haec mala, uti monet, ut evitentur, requiritur ventriculus validus (92). In intestinis eodem modo tartarus separatur, cum ex ventriculo omne stercus huc pervenit, et ibi moram facit, unde facile tum tartarus agglutinatur, ac hac ratione provocat colicam, tormina, oppilationes, profluvia; quae colicae differunt pro varia tartari specie, nam in intestinis multae species insunt, uti *calx*, *duelech*, *mercurialis*, *aluminosus* (93). Si in hepate separatur, inde hydrops, febris; in viis urinariis, quae, uti putat, ex hepate ad renes, et ex his ad vesicam tendunt, tartarus multo acrior generatur, unde in lumbis multae phlegmones, apostemata, exulcerationes gignuntur.

(91) *De orig. morb. ex Tart. T. I. p. 68, 69.*

(92) *L. p. 70.*

(93) *L. l. p. 71. et pag. 83. dicit: » vos autem scitote in » podagra multos paroxysmos calculares concurrere; sic » in podagra multi paroxysmi calculares insiliunt, ex cal- » culi natura surgentes. »*



In vesica ipsa, si spiritus salis nimis velociter tartarum ex urina separat, tunc tartarus foliaceus; arenosus formatur; contra si id non fit, tartarus siccus adhaerescit, et sic producuntur calculi variae formae (94). In pulmonibus a tartaro retento, asthma, tussis, anhelitus, phthisis et febris hectica proveniunt; in cerebro phrenitis, mania, vesania; in capsula cordis, tremor cordis; in vesicula fellis, morbus arquatus. Tartarus etiam continetur et formatur in sanguine, medulla, et interdum spiritus salis in tartaro adeo mordax est ac acutus, ut venas dirumpat et exedat (95). Ex salsa mordicatione in vesica mictio sanguinis nascitur, et interdum ea natura tartari est, ut urinam cohibeat, vel sistat (96).

Hos morbos imprimis medicorum attentionem mereri putat, cum plerumque a medicis insana-biles habentur. Praesertim felix fuisse videtur in curatione horum morborum, unde repetendum est, quare tam fuse de hisce egerit.

Diagnosin horum morborum non facilem habet, nam ut medicus recte hos morbos dignoscere posset, deberet varias species tartari cognitatas habere, ad quod peregrinationes multum conferrent, ut sic ex genuino libro eruditio-

---

(94) *L. l. p. 73.*

(95) *L. l. p. 72—79.*

(96) *Morb. Tart. T. I. p. 315.*



nem suam hauriat. » Quodque enim, inquit, » genus suum requirit remedium, quare si medicus tartarum examinare nequeat, numquam » aegro aptum regimen praescribere poterit (97).” Purgationes veterum rejicit, dum tartarum non educunt, et quia calculi per reductionem expellendi sunt, dum scindi nequeunt, nisi in solis pudendis, » ars posita est in praeparatione illarum rerum, quae reducunt, et non transmutant, nec praecipitant (98);” et ibi monet optimum remedium ad calculorum adhaesionem praecavendam esse in butyro et oleo olivae.

Praeter tartarum jam memoratum, homini adhuc alium tartarum insitum ac congenitum adscribit, qui per se in homine nascitur, aequae ac in mundo majori. Foeminae alium insuper suscipiunt a viris, si nempe vis attractiva uteri praevalet, retinetur tartarus, et hac ratione opinatur morbum tartareum fieri posse haereditarium, si in foemina aut viro tartarus in prima sua materie existit, vel foetus eum in utero cum alimentis ingerit (99).

PARACELsus spernit veteres, quod hosce morbos non cognoverant, nisi in renibus et vesica (100), attamen secundum SPRENGELIUM bi-

(97) *L. l. p. 292—297.*

(98) *De orig. morb. ex Tart. p. 74.*

(99) *Morbi Tart. p. 300—303.*

(100) *L. l. p. 315.*



lis atra, a Galeno descripta, cum hac materie convenit (101).

Ut medicus nunc rectam acquirat cognitionem naturae tartari, oportet eum attendere ad regionem, alimenta, et Alchymiae ope examinare urinam. Monet, nullum esse locum, qui aegritudine tartarea careat, sed observaverat tamen incolas regionis *Vellinae*, huicce morbo minus obnoxios esse, quare affirmat, non salubriorem in omnibus suis peregrinationibus regionem se vidisse (102). Hosce morbos imprimis oppugnasse videtur alcalibus, aliis remediis admixtis (103).

Hic etiam quaedam monenda esse censeo, de morbo Gallico, quem PARACELSUS accurate tractavit, et propter cuius rectam curationem laudari meretur. Hicce morbus versus finem seculi xv. primum in *Europa* observabatur, et eo tempore maxime malignae erat indolis. Multae extant scriptorum sententiae de origine hujus morbi, sed de his non disputabimus; potius breviter tradere conabimur, quid PARACELSUS de hoc morbo communicaverit.

» Seculo xv., inquit, nata erant ulcera, quae  
» medici per solita remedia sanare non poterant,

(101) K. SPRENGEL, *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneykunde. III. Th. p. 476. Ed. 3.*

(102) *Morbi Tart. p. 322.*

(103) *L. l. p. 320—330, 462, 481.*



» quia haerebant scriptis veterum (104).» Hunc morbum vocat Gallicum, cum haecce regio prima illum suppeditaverat, sed praestare credebat eum a materie luxum, et ab influxu Venerem dicere, quia Venus mater est hujus morbi, et eo ipso tempore Veneris influenza in sua exaltatione erat; magna enim tunc in rebus venereis erat licentia et turpitudine, ita ut numquam tanta fuerit hominum in usu Veneris licentia (105). Ex coitu leprosi Galli cum scorto impudenti, bubonibus laborante, hunc morbum originem suam duxisse putat, quemadmodum ex equi et asiinae coitu mulorum genus existit (106). Propagatur contagio, quod imprimis per sudorem transfertur, vel in sanguine haeret, unde tunc lues haereditaria nascitur, si nempe materies cum spermate fuerit mixta. Venenum hoc Gallicum nihil aliud esse dicit, nisi spiritum substantiae nostri corporis quadam proprietate occulta adversantem, qui in frigido corpore calidus, in calido frigidus existit (107), quod si loco cumuletur, tunc tumores nascuntur, qui propter malignitatem et vehementiam veneni Gallici in ulcera transeunt, quae miras difficultates in curatione me-

---

(104) *Chir. magna. T. III. p. 173.*

(105) *L. l. p. 119.*

(106) *L. l. p. 44.*

(107) *L. l. p. 182.*



dico facessere solent. In hoc morbo etiam aetatem spectabat, quia in juvene morbus maturationem et coctionem celeriore[m] habebat, quam in sene (108). Varietatem morbi in eo quaerendam esse putat, quod cum multis aliis morbis complicitur, sub omni forma prodeat, ac omne genus morborum in aliam essentiam mutet (109).

In diagnosi hujus morbi imprimis attendebat ad locum, quo pustulae inveniuntur, non ad urinam, et optimum signum petendum esse statuit ex halitu aegrotantis (110).

In curatione hujus morbi, eo tempore tam maligni, Mercurium adhibuit, et convictus fuisse videtur, in eo certum auxilium positum esse adversus hunc morbum. Testatur enim in *libro de balneis*, Mercurium miro modo curare luem veneream, sordida ulcera, serpigines; et alio loco monet experientiam docuisse, in omnibus ulceribus cum morbis venereis complicatis, Mercurium tanquam sacram anchoram esse, ac patronum, et unicum arcanum, de quo Venus gloriari possit (111), atque omnem curandi morbi Gallici virtutem in unica et sola vi Mercuriali esse positam. Usum ligni Guajaci repro-

---

(108) *L. l. p.* 185.

(109) *L. l. p.* 120.

(110) *L. l. p.* 200.

(111) *L. l. p.* 44.



bavit, quia aegri, qui semel curam ligni subie-  
rant, numquam ad pristinam sanitatem perve-  
niebant, sed malum si reverteretur priori multo  
pejus erat (112). » Totam, inquit, artem lig-  
» neam fecistis, ligno medemini lignei stipi-  
» tes (113).» A retropellentibus se quoque ab-  
stinuit; monet enim, quod qui suffocando cura-  
tionem perficere vellet, numquam optatum sco-  
pum attingeret, sed potius repulsa ad centrum  
materie corruptionem vel mortem afferret; nec  
non detestatur eos, qui gonorrhoeam per adstrin-  
gentia et evacuantia sanare conantur, » cum  
» istis omnibus opus non sit, si spiritus peccans,  
» ex leprosa dispositione natus, auferatur (114).  
» Nam si cathartica dantur in lue, tunc ut ge-  
» nitalia curentur, ventriculus vel viscera male  
» afficiuntur, quod operae pretium non est (115).»

PARACELsus primus fuit, qui virtutes Mercurii ad luem veneream curandam recte cognovit. Ante eum quidem externe a nonnullis adhibi-  
tus erat, sed ab aliis rursus erat rejectus (116),  
quare revera ei meliorem hujus remedii usum  
debemus. Multis praeparationibus hujus metalli

(112) *L. l. p.* 132

(113) *L. l. p.* 130.

(114) *L. l. p.* 118, 198.

(115) *L. l. p.* 188.

(116) *K. SPRENGEL, l. l p.* 213.



usus est, sed vera sunt arcana, nam praeparandi methodum intelligere non potui. Maximopere laudat conjunctionem auri soluti et mercurii corporalis haematini, » nam, inquit, hoc remedium » purgat corpus a lue, ut nihil sordium remaneat (117). Dein loquitur de mercurio corporali ex Luna, de mercurio Veneris, Jovis, Saturni, Martis et Solis. In inveterato malo utebatur mercurio vitriolo extincto, quo remedio narrat, pruriginosam luem sanatam esse (118). Usus etiam est mercurio praecipitato, nec non sublimato in lotionem, cujus praeparandi modum hic afferam, ut melius Alchymista cognoscatur: » Mercurium per se sine commixtione sublimati » quantum sufficit, sublimetur denuo aliquoties » a sale fuso, dein cum vino sublimato destilletur, donec omnem corrodentem vim amisisse » videatur, denique Mercurius hoc modo praeparatus in aqua Chelidoniae vel Persionis elixetur, » ac percoletur, solo spiritu suo in aquam transfuso, non tamen in sua substantia usurpetur (119).» Denique etiam commendat mercurium laxum, ad ulcera pedum manantia sananda (120). Monet insuper, in arte chemica praeparationis mercurii

---

(117) *Chir. magna.* p. 136.

(118) *L. l.* p. 144.

(119) *L. l.* p. 153.

(120) *L. l.* p. 155.



secreta adversus luem contineri, quae in curatione hujus morbi bases seu arcana sunt, et quae absque chemiae singulari peritia praeparari minime possunt.

Sed haecce sufficiant, nam hisce satis constat, eum luem veneream rite tractasse. Tamen omittere non possum ejus sententiam de febre hectica, »hectica, inquit, consumptio est totius corporis, ac substantiae carnosarum partium immunitio, cum calore et frigore alternante, quae sequitur luem Gallicam, si ab ea vires naturales debilitatae sunt, nam tunc assimilans nutrimentum facultas fere evanescit (121).”

#### § IV. *De nonnullis remediis, quibus usus est.*

Praeter supra memorata remedia, alia heroica chemica in usu habuit, uti Aurum, Antimonium, Sulphur, Arsenicum, Terebinthinam, imprimis tamen Opium, cujus praeparatum semper secum ferebat (122). Sulphur sublimatum in peste, pleuritide, internisque inflammationibus propinabat (123). In epilepsia adhibebat Aurum po-

(121) *L. l. p. 166.*

(122) *LE CLERC, Histoire de la medicine. p. 815. Et op. PARAC. T. I. p. 460, ubi loquitur, de pillulis ex laudano, et pag. 475, id in pleuritide commendat.*

(123) *SMETIUS, Miscellanea medica. p. 650.*



tabile, oleum auri, Mercurium reverberatum, magisterium antimonii, vitriolum (124). In scabie et squamis unicum arcanum erat antimonium (125). Stannum adversus vermes dabat, cum sale communi et asphaltum mixtum, et alio modo praeparatum in ictero et hydrope (126). Ex regno vegetabili multa quoque remedia parabat, et quibusdam magnas vires adscribebat, sic foliis Hellebori majores virtutes inesse affirmabat, quam in omnium auctorum libris, ad longam vitam servandam (127). Persicaria magnam vim habet in sanandis ulceribus, si nempe herba per aquam recentem tracta ulceri imponatur, et dein loco humido defodiatur, ac putrescat; quam operationem illius plantae ipse non superstitiosam aut magicam vocat. Eandem plantam sub aqua frigida mersam adversus magnos dolores dentium ex frigiditate provenientes adhibebat (128). Magnam etiam vim tribuebat formis herbarum, ita ut crediderit, has iis maxime partibus esse profuturas, quarum formam referunt; » sic si » formam habet pedum, abit in pedes, si for-

(124) *PARAC. op. De cura caduci. T. I. p. 575. Et de Hydropisi T. I. p. 623, aurum diaphoreticum commendat in hydrope.*

(125) *Chir. magna. T. III. p. 207.*

(126) *Lib. de praep. T. II. p. 82.*

(127) *Herbarius. T. II. p. 165.*

(128) *De Persicaria. T. II. 168.*



»mam habet manuum, stat in manibus, quae  
 »etiam ratio est capitis, dorsi, ventris, cordis,  
 »splenis, jecoris. Euphrasia formam et imagi-  
 »nem oculorum in se habet, unde fit, ut assumpta  
 »in membrum suum se sistat et in ipsam for-  
 »mam ejus membri, ita ut Euphrasia integer  
 »ac totus oculus fiat (129).”

Magno etiam numero elixiriorum usus est,  
 et jactatur se multa elixiria longae vitae inve-  
 nisse. Caeterum omnibus rebus quintam essen-  
 tiam inesse opinabatur, quam vocat materiam  
 ex omnibus quae natura produxit, et ex uno-  
 quoque vitam in se habente extractam, ab omni-  
 bus impuritatibus et mortalitate separatam (130).  
 Arcana potissimum in deliciis habebat, quod  
 non mirum, nam etiam hodie id empirico-  
 rum est: »Quisquis, inquit, arcana omnium  
 »absconditarum rerum scire cupit, is notitiam  
 »illarum alibi non quaerat, nisi apud DEUM,  
 »qui solus creator et conscius omnium secreto-  
 »rum est (131).”

Ex regno animali quoque sua arcana petebat;  
 sic mus sylvestris contra phthisin mysterium est;

(129) *Labyr. T. I. p. 283, 284.*

(130) *De prima Essentia T. II. p. 10. Et liber de Archidoxis*  
*p. 32, ubi communicat compositionem et usum Elixirii*  
*Proprietatis.*

(131) *Lib. Azoth p. 675.*



carcinoma curatum vidit cancri ope, si nempe cancri brachiis linteo obvolutis loco carcinomatoso applicentur, » similiter febres curantur ac » hydropes, ubi aegroto ungues universi pro- » scindebantur, et dorso ejus cancer primo su- » perligatus, postea in flumen reportatus est, » nulla alia ad morbum cura impensa." Tamen ipse fatetur, fidem in sanandis his morbis multum conferre, quia ipse CHRISTUS dixerat: crede et sanus eris (132).

Eum in praecavendis et curandis morbis superstitiosum fuisse, patet ex *libro de Archidoxis Magiae*, in quo magnum numerum sigillorum depinxit et descripsit, quae tanquam remedia prophylactica et curatoria nonnullorum morborum commendat. Ex Cabala etiam medendi rationem petiit, » medicus, inquit, secretioribus » Magiae ac Cabalae operam dare debet (133)."

Monendum hic quoque esse puto, eum jam in curatione morborum magnetem adhibuisse, cui magnam vim tribuit in sistendis haemorrhagiis et aliis fluxibus, qui ex centro corporis oriuntur. In applicatione imprimis ad locum attendebat, unde morbus originem suam traxerat. » Si menstruum, vel profluvium instet, tunc po-

---

(132) *Lib. principiorum. T. II. p. 220.*

(133) *Chir. magna. T. III. p. 193.*



» nendus est in centro, summum enim remedium  
 » fluxiones divertendi est *Magnes*; in diarrhoea  
 » centro imponatur, ubi diarrhoea incipit, ut sic  
 » alvi fluxus sistetur. Per magnetem hernia  
 » cohibetur, et exitus sanatur." In hysterica  
 passione, quam suffocationem uteri vocat, mag-  
 netis ope uterum in centro suo teneri posse cre-  
 dit, nec non ejus vi epilepsiam sanari (134).

Quod tamen multa mala PARACELsus insana-  
 bilia censuerit, optime conspicitur ex libro me-  
 morato SMETII, qui illa omnia enumerat. Sed  
 ut unum alterumve exemplum afferam, sic PA-  
 RACELsus apoplexiam vocat morbum lethalem,  
 elephantiasin per se morte graviolem; cancos  
 occultos, qui uterum, anum, mammarum inte-  
 riora affligunt, lethales fieri monet. Sed letha-  
 litatem adscribit tempori, horae, corporum coe-  
 lestium influxui, quare aegroti sunt, apud quos  
 ne praestantissima quidem remedia aliquid com-  
 modi praestant. Hinc remedia in suo adscen-  
 dente propinanda esse praecepit, cum neglectus  
 astri medicamenta quaedam, non solum ineffi-  
 cacia, sed etiam noxia reddit (135).

Multa adhuc dici possent de ejus arcanis, nec

---

(134) *De Magnete. T. II. p. 176.*

(135) *SMETIUS, l. l. p. 687.*



non morborum curandorum methodo, sed mihi modo propositum fuit, in ingenium hujus viri penetrare, ut sic cum eo familiaris fierem, et non dubito, quin omnis, qui de illo, ex iis quae attuli, judicium ferat, facili opera mecum faciat, PARACELSUM fuisse Empiricum, superstitiosum, sed simul in arte chemica maxime versatum.

PARACELSUM, dictis remediis heroicis, Alchymiae ope paratis, multos morbos chronicos curavit, et eum multos etiam feliciter sanasse, constat ex magna famae celebritate, quam nactus est. Plures Principes, ab aliis incurabiles dictos, in diversis regionibus curavit (136). Etiam in nostram patriam fama ejus pervasit, quod testantur litterae, quas ERASMUS ei mandavit, postquam a PARACELSO sequentem epistolam acceperat. » Quae mihi sagax Musa et Alstoos tri-  
» buit medica, candide apud me clamant: simi-  
» liorum judiciorum manifestus auctor sum: re-  
» gio hepatis pharmaciis non indiget, nec aliae  
» duae species indigent laxativis. Medicamen est  
» Magistrale, arcanum potius ex re confortativa,  
» specifica, et melleis abstersivis, id est, conso-  
» lidativis. In defectum hepatis essentia est se-

---

(136) *T. I. p. 763.* Ibi consilia inveniuntur a PARAC. vi-  
ris nobiliss. data.



» cunda, quae de pinguedine renum, medicamina  
 » regalia sunt peritae laudis. Scio corpusculum  
 » Mesuaticas tuum non posse sufferre coliquin-  
 » thidas, nec aliquid thurbitatum, seu minimum  
 » de pharmaco. Scio me aptiorem et in arte  
 » mea peritiorem, et scio quae corpusculo tuo  
 » valeant in vitam longam, quietam et sanam,  
 » non indiges evacuationibus. Tertius morbus  
 » est quaedam materia seu ulcerata putrefactio,  
 » seu natum phlegma, vel accidentale colliga-  
 » tum, vel si faex urinae, vel tartarus vasis,  
 » vel mucilago de reliquis ex spermate, vel si hu-  
 » mor nutriens viscosus, vel bituminosus: pingue-  
 » do resoluta, vel quidquid hujusmodi sit, quan-  
 » do de potentia salis coagulabitur, quemadmo-  
 » dum in silice, in berillo potius; similis est haec  
 » generatio Haec non in te nata perspexi. Sed  
 » quidquid judicavi de minera frusticulata mar-  
 » morea existente in renibus ipsis, iudicium fe-  
 » ci, sub nomine coagularum."

ERASMUS *Roterodamus* dein sequentes litteras  
 ei misit: » Non est absurdum Medico, per quem  
 » DEUS nobis suppeditat salutem corporis, ani-  
 » mae perpetuam optare salutem. Demiror unde  
 » me tam penitus noris semel duntaxat visum.  
 » Aenigmata tua non ex arte medica, quam num-  
 » quam didici, sed ex misero sensu verissima  
 » agnosco. In regione hepatis jam olim sensi



»dolores, nec divinare potui, quis esset mali  
 »fons. Renum pinguedines ante complures an-  
 »nos in lotio conpexi. Tertium quid sit, non  
 »satis intelligo, tamen videtur esse probabile  
 »mihi, id molestare, ut dixi. Hisce diebus ali-  
 »quot nec medicari vacat, nec aegrotare, nec  
 »mori, tot studiorum laboribus obruor. Si quid  
 »tamen est, quod citra solutionem corporis mi-  
 »hi potest lenire malum, rogo, ut communices.  
 »Non possum polliceri praemium arti tuae stu-  
 »dioque, certe animum gratum polliceor. Fro-  
 »benium ab inferis revocasti, hoc est dimidium  
 »mei. Si me quoque restitueris, in singulis  
 »utrumque restitues (137).”

Nonnumquam curationes ei non multum lu-  
 cri afferebant, nam ipse queritur, quod cum  
 Philippum Badensem, Archiatrorum curatione  
 desperatum factum, a dysenteria sanasset, ab  
 illo illiberaliter fuerit donatus; »ac, inquit, se  
 »sordidiorem cum certo meo damno praestitit  
 »multo, quam impius Judaeus (138).”

Nunc transeamus ad ejus Chirurgiam.

### § 5. De Chirurgia.

Pervenimus ad eam partem *doctrinae Paracelsianae*, quae certe omnium gravissima est,

(137) *PARAC. op. T. I. p. 485.*

(138) *Fragm. med. T. I. p. 166.*



nam de hacce medicinae parte optime egit, et ex ea manifestum fit, eum quamvis superstitiosum, tamen naturae vim medicatricem tenuisse. Breviter de hisce videamus, ut laudes huicce viro tribuamus, ubi eas meruerit, nec non ejus ingenium ubique perscrutemur.

Chirurgiam a medicina non separandam esse monuit (139). » Chirurgus, inquit, sit bonus » observator, ut sciat, si vulnera inspiciat, num » sanari queant, nec ne. Scias, naturam corpo- » ris, carnis, ossium, nervosarumque partium, » radicalem ac congenitum medicum in se con- » tinere, qui vulnera, puncturas, omnemque con- » tinui solutionem, curandi facultate praeditus sit, » quod sic intelliges: balsamus naturalis fracta » ossa conglutinat, carnosum vulnus sanat, sic- » que omnis humani corporis pars curationis ef- » ficientem causam, id est, naturalem medicum » in se continet, qui ipsius continuitatem solu- » tam denuo conjungit. Quapropter Chirurgus » meminerit, non se, sed balsamum, qui in » corpore consistit, vulnera curare, non enim » levis error est, si medicus sibi curationem ad- » scribat. Hoc solum namque Chirurghi opus est, » ac Chirurgiae opus, naturae curam gerere in » loco affecto, ne vulnus a causis externis irri-

---

(139) *Paragr. T. I. p. 233.*



» tetur, ac balsami curatrix facultas impediatur,  
 » sed ut ipse absque impedimento munere suo  
 » fungi possit, medici industria adjuta, ut jam  
 » recte dicatur bonus balsami custos, bonus Chi-  
 » rurgus esse." Et dein ita pergit: » hoc stu-  
 » deatis, ut et vulnus cognoscatis, et ejus cura-  
 » tionis causam internam intueamini, exterius vero  
 » et ipsum mundum servetis, et ab injuriis tuea-  
 » mini (140)."

Ad rectam prognosin faciendam, praesertim attendisse videtur, nam monet boni Chirurgi esse, ut bonum vel malum praedicere valeat eventum. Multa loquitur de vulneribus, quorum certe magnum numerum, cum medicus castrensis erat, observaverat. Sic vulnera in carnosissimis partibus periculo vacare docet; vulnera transversim facta, nisi studiose curentur, resolutionem minari; capitis vulnera quandoque inferre apoplexiam, mortem subitanam, epilepsiam; vulnera vesicae, cordis, lethalia esse; intestinorum vulnera nonnumquam peritorum artificum ope sanari; pulmonum vulnera, quamvis lethalia non sint, curationem nullam admittere, sed in phthisin, dyspnoeam, similesque affectus transire. Malignitatem vulnerum saepe a causis internis repetebat, quare summi momenti esse praedicat Chirurgo,

---

(140) *Chir. magna. T. III. p. 1, 2.*



id scire, ut recte curet. Astra etiam quid huc conferre credit, sic enim vulnera, sub Gemino, Virgine, Capricorno, inflicta, deterrima enunciat; sub Libra, Scorpione, ac Sagittario, saluberrima; quae post novilunium fiunt, si sub hypochondriis sunt, deteriora sunt, quam quae plena luna fiunt; verum supra diaphragma meliora sunt, crescente quam decrescente luna (141).

Vulnere decumbentibus praescribit diaetam tenuem, quietem et abstinentiam a Venere, quia natura, ubi aliquo morbo gravata est, non ab eo vult detrahi. Monet, in vulnere interdum venae sectionem, vel scarificationem naturae oppressae subvenire, et sic morbos praecaveri posse (142). Bis de die vulnera deligabat, semper 12 horis interpositis, quia post horam duodecimam cujusvis medicamenti actio et nutritio elanguescunt, ex quo vulnus in deterius delabatur (143). Rejicit usum suturae in omni vulnere, quia hac methodo aegri nimis excruciantur, » natura enim ipsa conglutinat et suit » vulnera, atque cicatricem aequae angustam facit, ac si sutorio filo consuisses. Natura enim » sic comparata est, ut jucundam et quae sine » dolore fit curationem ipsa desideret: novit enim

---

(141) *L. l. p. 26.*

(142) *L. l. p. 7, 10.*

(143) *L. l. p. 5.*



» talem praestari posse, exhorrescit vero ad tor-  
 » torum istorum ingressum. Hinc ego suendi  
 » rationem, non solum ut ab arte alienam, sed  
 » ut dolores et fluxiones concitantem, improbo,  
 » et doleo tam inartificiosam operationem, inter  
 » artis secreta numerari; sed errorum semper  
 » plus quam verorum canonum exstitit." Potius  
 » adhibebat pulveres glutinatorios et aquas  
 » colleticas, quibus inesse credit mirabilem effica-  
 » ciam, ad vulnera non solum, sed majora quoque  
 » mala sananda (144).

In ossium fractura, monet, imprimis attenden-  
 » dum esse, num cutis laesa sit, nec ne, » nam,  
 » ubi ea integra adhuc est, accurata operatione  
 » opus est, ut singula iterum in locum suum  
 » reducantur, quo facto, tum demum ad ea,  
 » quae ossa conglutinant, progrediendum erit." In  
 » juvenibus unicam Symphyti radicem coctam  
 » et contusam, fracturae impositam, callum facere,  
 » credit. Magnam vim simul tribuit suis oleis,  
 » balsamis, unguentis, balsamis traumaticis; sed  
 » tamen animadvertit, naturam levissimo auxilio  
 » adjutam, plurimum per se efficere. Si fractura  
 » cum vulnere complicata erat, primum os repo-  
 » nebat, et dein vulnus curabat (145).

---

(144) *L. l. p. 10.*

(145) *L. l. p. 34.*



De ulceribus etiam fuse egit, magnum librum de iis conscripsit, in quo causam horum explicat, ex sale in loco quodam turgente; sic ulcera scrofulosa, ex sale nitri, quod in corpore retentum acrimonia sua rodere incipit, » nam, » inquit, nisi per urinam dejiciatur, in carnosas » partes decumbit, illicque paulatim alienam » naturam contrahit, donec tandem ad effectum » suum perveniat, quem antequam contingat, » multos tumores excitat, paulatim magis magisque indurantur, ac attolluntur, non aliter » quam in nitri praeparatione conos fieri appareret. Ita etiam varices et ex iis dein oriunda » ulcera, ex sale vitriolato (146).” Ulcera, in quibus adest dolor intensissimus, et si caro, cutis, ossa, nervi, ligamenta exeduntur, *Realgarina* vocat, quae omnibus remediis veterum resistunt; » sic quae a Realgare Lunae ac Veneris » fiunt, faciem fere occupant, labia, nasum, » mentum, malas et non raro oculos, auresque » depascentia; quae vero a Realgare Jovis fiunt » et Mercurii, scapulas et sternum exedunt; Saturni, ab inguinibus tota crura obtinent. Haec » etsi omnia ulcera periculosa sunt, et non nisi » artis auxilio expelluntur, alia tamen aliis magis » remedio obediunt; facilia ergo curatu sunt,

---

(146) *L. l. p. 56.*



» quae a Mercurii, Solis et Jovis existunt, quae  
 » vero a Veneris, Lunae, Saturni et Martis Re-  
 » algare facta sunt, accuratissimam artificis in-  
 » dustriam requirunt, alioquin spiritus vitales in-  
 » ficiunt, mortemque inevitabilem inferunt (147).”

Non dubitat, quin etiam stellae, praedominante  
 influxu coeli, in corpore ulcera producere pos-  
 sint, quare in desperatis casibus, cum ulcera  
 solitis remediis non curarentur, ad Astronomi-  
 cam medicinam recurreret, et inde remedia sua  
 petebat (148).

### *Consecraria.*

Nunc mihi superest, ut quaedam adjungam  
 consecraria, universam ejus rationem spectantia,  
 et primo loco quidem notetur velim, ingenium  
 PARACELSI magis fuisse ingenium poëtae, quam  
 medici. Fuit medicus poëta, qui multa sibi fin-  
 xit, magnam pompam in dicendo adhibuit, ple-  
 niore ore studium naturae laudavit. Animus  
 ejus inquietus per coelum quasi volitabat, et  
 sic omnia intelligere tentabat. Hinc carmen con-  
 scripsit de Macrocosmo et Microcosmo, lusum  
 quemdam poëticum, quales lusus poëtici, etiam

(147) L. l. p. 58, 59.

(148) L. l. p. 60.



nostris temporibus, e scholis naturae-philosophorum prodire. PARACELsus fuit naturae-philosophus, qui e natura ipsa omnem sapientiam hauriendam esse putavit, omni rejecta doctrina, » non eloquentia, non linguarum peritia, » nec librorum lectio in medico desiderantur, » sed summa rerum ac mysterious cognitio, » quae una facile aliorum vices agit (149);» ipsamque hominem in mundo majori descriptum sibi proposuit. Fuit Enthusiasta, qui, magis phantasia quam ratione ductus, carmen quasi de medicina cecinit, et magno hiatu opus obscuritatis plenum ac confusionis edidit. Nam quis est, qui sibi persuadebit, in sole ut in speculo, naturam humanam cerni; hominis imaginem, cum omnibus illius actionibus bonis malisque, in coelo depictam aut expressam esse (150), aut ex astris, morborum causas et naturam cognosci posse? Quis ex ortu, generatione, causa et natura pluviarum, rationem et proprietatem diarrhoeae, lienteriae et dysenteriae explicare poterit; vel ex origine tonitru, ventorum et tempestatum cognita, sciet, unde colica, tormina orientur; vel ex generatione fulguris, grandinis, cognoscet urinam, calculum, arenulas? Quis

---

(149) *Chir. min. T. III, in praef.*

(150) *Param. T. I. p. 62.*



est, qui e conjunctionibus et eclipsi mortem improvisam, apoplexiam sciet; vel ex terrae motibus febres, earumque genera cognoscet. Ex Venere an quis foeminarum affectus, morbos et sanitatem intelliget? (151).

Theoria ejus, a magni mundi legibus petita, nimis est generalis, nam dum omnem mundum complecti videtur, perperam naturae humanae observationem neglexit. Quis enim in mundo majori inveniet omnes species membrorum, morborum, et horum omnium essentias; vel credet, numerum morborum convenire cum numero plantarum et arcanorum naturalium? Qualis enim esset medicus, qui ut morbos in aegrotante cognosceret, sese verteret ad macrocosmum, ut ibi quaereret auxilia ad rectam faciendam diagnosin, vel si remedia adversus astrorum proprietates dirigeret ad morbos sanandos, quod tamen PARACELsus necessarium habet, nam ait, eandem stellae et morbi naturam esse, et eam ob causam Philosophiam et Astronomiam medico profuturas esse, ut dicere posset: hic morbus est Leonis, ille Sagittarii, Martis, vel Saturni (152).

(151) *Astronom. T. I. p. 241.*

(152) *L. I. p. 203, 205, 206. Et pag. 780. monet, Phlebotomiae cognitionem ex sola Astronomia petendam esse. » Ipsa, inquit, astra quartam medici partem complent, de quibus tamen astris veteres solidi nihil ex fundamento tradiderunt.*



Unica illa idea similitudinis macrocosmum inter et micrococosmum, tota fere nititur theoria PARACELSI, quam sub omni forma profert, et obscura ac intricata loquendi ratione sustinere enititur, undique allatis exemplis, interdum absurdissimis. Sed quid multa? ex his enim luce clarius apparet, aliud quid plane esse, hominem fingere macrocosmo similem, deque rerum universitate et microcosmo, poetarum more, canere ac ludere et confabulari, et grandia verba proferre, quod phantastarum: aliud quid, hominem rite cognoscere, morbos observare et dignoscere, atque diligens naturae humanae studium, quod medicorum est. Aliud quid enim est, ingenio vero pratico in naturae humanae penetralia intrare et naturam observare; aliud quid, naturam fingere: hoc poëtas, illud medicos decet.

2. PARACELSUS institutione Clericorum, et cultura Alchymiae, factus est medicus Theosophus, Alchymista, quod si accurata et meliorum praeceptorum disciplina usus fuerat, non dubito quin ingenium PARACELSI ad verum naturae studium, atque ad summam pervenisset naturae humanae interpretis laudem. Sed animus ejus a prima juventute Theologia jam obrutus, et mysticismo sui aevi depravatus, huicce operi non erat aptus. Ut omnes enim mystici et phantastae, solo lumine naturae atque divina illumina-



tione sapere voluit, omnemque doctrinam et eruditionem sprevit. Hinc illa ad divinam lucem naturae provocatio, hinc ille omnium librorum, auctorumque contemptus, hinc eum dicentem audimus, theoriam medicinae ex ipso DEO esse, et se electum esse, ut phantasias omnes excogitatorum, falsorumque operum exstingueret, sive ea sint Aristotelis, Galeni, Avicennae, sive cujuscunque alterius asseclae placita, atque ejus theoriam e luce naturae prodeuntem, certo anno 1558, ubique acceptam fore (153). Hinc alio loco ita loquitur: » Medicus debet e DEO loqui, » nam is labia aperit, et juvat ut in nomine ejus » operemur (154), nam omnia nobis a DEO » dantur, quare Medicus etiam in veritate exis- » tat, ac ambulet, in omni casu gratiam et mi- » sericordiam DEI exspectet, quia DEUS per ip- » sum operatur, eum amat, eique tum medici- » nae laudes, tum probra ferenda imposuit. Ho- » mo nihil e se ipso inveniet; ne tantillum qui- » dem, quo pediculum capitis jugulare possit (155),

(153) *Tinct. physic. in praef. T. II. p. 116.*

(154) *Labyr. med. T. I. p. 279.*

(155) *De Proprietate med. T. I. p. 218, 222. Et in Labyr. p. 281. dicit: » Medicus illos libros evolvat, quos DEUS » ipse scripsit. Beatus autem medicus, qui in illo auc- » tore ambulat. Versatur enim in luce, non in tenebris. » DEUS enim in rebus omnibus scriptor et auctor supre- » mus, primus, excellentissimusque, ac nostrum om- » nium quasi textus quidam.*”



» et medicus nullum aegrum sanare poterit, nisi  
 » DEO placeat, nam omnes morbi sunt flagella,  
 » aut commonefactiones DEI, qui supremus me-  
 » dicus est, et sine quo nihil fit (156).”

Superstitio Theophrasti multum etiam contu-  
 lit ad rectam ejus ingenii evolutionem cohiben-  
 dam; nam hinc in multis rebus, causas praeter-  
 naturales agnoscebat; hinc morbos, verborum,  
 characterum, sigillorum ope, sanari posse crede-  
 bat, quare medicos, qui ita curant, vocat Cha-  
 racterales, Spirituales et Fideles (157). Magnas  
 vires spiritibus tribuebat, et mysticorum more  
 in fide magnam efficaciam latere ad morbos pro-  
 vocandos putabat, nam profitetur, per eam om-  
 nes morbos produci et sanari posse, » per inten-  
 » tam, seriamque fidem precationibus homines  
 » occidi, distortosque reddi, morbos naturales in  
 » nonnaturales verti (158).” Sed ut ostendam,  
 eum quam maxime credulum fuisse, sufficiat af-  
 ferre illum locum ex ejus scriptis, in quo narrat  
 se per artem hominem vivum posse creare, quam  
 operationem vocat arcanum super omnia arcana:  
 » Sperma, inquit, viri per se in cucurbita sigil-  
 » lata putrefiat, summa putrefactione ventris equi-  
 » ni, per quadraginta dies, aut tamdiu, donec in-

---

(156) *De Ente Dei. T. I. p. 27, 28.*

(157) *Param. T. I. p. 2, 3.*

(158) *De morbis Invisib. T. I. p. 113.*



»cipiat vivere et movere, ac agitari, quod facile  
 »videri potest. Post hoc tempus aliquo modo  
 »homini simile erit, tamen pellucidum et sine  
 »corpore. Si jam posthac quotidie arcano san-  
 »guinis humani caute et prudenter nutriatur,  
 »per quadraginta septimanas in perpetuo et ae-  
 »quabili calore conservetur, fit inde verus et  
 »vividus infans, habens omnia membra infantis,  
 »qui e muliere natus est, sed longe minor (159).”

Hisce ergo certus sum, PARACELSUM inter medicos Mysticos esse collocandum, qui superstitione ductus, multa falsa sibi finxit.

3. In hocce viro quoque apparet, quantopere animi habitus et mores, scientiarum colendarum rationem moderentur, ac regant. Nam ista superbia, arrogantia, inquietudo, atque vinolentia hujus reformatoris, eum ad hominem ejusque morbos rite observandos, ineptum reddidere. In bono naturae humanae observatore requiritur animus sedatus, moderatus, phantasia non abreptus, sed ratione utens, modestus, ab omni superstitione et credulitate liber; nam neque superbis et arrogantibus, neque superstitiosis natura sua arcana pandit.

4. Medicina PARACELSI fuit medicina Chémica, ipse Jatro-Chémicorum dux et princeps, quem postea multi secuti sunt. Hinc corpus ex

(159) *De Generatione rerum nat. T. II. p. 86.*



Sale, Sulphure et Mercurio compositum sibi proposuit. Hinc digestionem et alias functiones chemica ratione explicuit, et humores secretos cum praeparatis chemicis comparavit (160).

In praxi Empiricorum more egit, nam temere usus est remediis heroicis, chemicis; tamen laudandus est, quod in nonnullis morbis chronicis efficacissima remedia paraverit. Inprimis operam dedisse videtur, ut sibi remedium pararet ad vitam longam servandam, nam jactatur, se tincturam possidere, per quam nonnulli veterum Aegyptorum annos centum et quinquaginta vixerant, et cujus ope sanare poterat lepram, hydropem, epilepsiam, colicam, fistulas (161). Magnopere interdum extollit vires nonnullorum medicamentorum; »ego vero, inquit, cum solo »Alumine triginta et duos morbos curare possum, cum Sulphure et Mercurio octoginta septem aegritudines sanare equidem scio, et cum

---

(160) *Param. T. I. p. 16.* » Quidquid per cutis poros transsudat substantialiter, id resolutus est mercurius; per nares quod excernitur, hoc sulphur candidum est; per aures, arsenicum ejicitur; per oculos sulphur; per vesicam, resolutio salis; per anum putrefactum sulphur.”

(161) *Tinct. physic. T. II. p. 119. In lib. de Transmutatione rer. nat. T. II. p. 99.* Tincturam vocat, » materiem » nobilissimam, qua tinguntur corpora humana, et in » meliorem essentiam, et longe nobiliorem transferuntur, et in summam suam sanitatem et puritatem.”



»sale Absinthii quatuordecim morbos perfecte  
»sanare possum (162).»

Attamen certe eo laudis genere dignus est, quod priscam fictitiam pathologiam humoralem debellaverit, et sic medicos attentos reddiderit, ut in aliis partibus corporis humani morborum causas quaerent. Sed majori laude celebraretur, nisi huicce erroneae theoriae alteram aequae erroneam substituere PARACELSO placuisset, theoriam volo Acrimoniarum Chemicarum; nam sic errores non delevit, sed permutavit tantum. Non mirum tamen, nam quaenam alia theoria expectanda erat a viro, qui ex officinis Alchymistarum prodierat, cujus ingenium in fodinis metaliferis enutritum et institutum erat, quare neque etiam mirum, ipsum ex fodinis petiisse theoriam medicinae, medicum ipsum finxisse Alchymistam ex igne prodeuntem, atque ad mundi universi potissimum Chemicas leges, hominem sanum et morbosum, et medicinam composuisse omnem.

Haec sunt, quae de PARACELSO monenda habebam.

---

(162) *De Pestilitate. T. I. p. 377.*

TANTUM.



## THESES.

### I.

**P**robabile mihi videtur, absorptionem in statu sano solis vasis absorbentibus perfici, atque omnem vim absorbentem venis esse denegandam.

### II.

Animi pathemata potius ad vitam animaleam, quam ad vitam organicam pertinent.

### III.

Delirium magis a prava rerum perceptione, quam a iudicandi facultate laesa oboritur.



## T H E S E S.

### VI.

Sola pulsus frequentia celeriore sanguinis circuitum non indicat.

### V.

Mala, quae interdum post perspirationem cutaneam suppressam oriuntur, non in materie ipsa perspirabili retenta, sed in cute morbose affecta sunt quaerenda.

### VI.

Febris Hecticae causa non a pure absorpto est repetenda.

### VII.

Causa proxima Rheumatismi est musculorum sive vera, sive spuria inflammatio.

### VIII.

Cur plurimae foeminae noctu partum edant,tribuendum videtur rationi ac vicissitudini vitae animalis et organicae: nocte enim cum animales functiones torpescunt, organicae eo sollertius agunt.



# T H E S E S.

## IX.

Hyperstheniae uteri causa proxima non est status inflammatorius, sed potius irritabilitas uteri morbose aucta.

## X.

Artis obstetriciae scopus non est, omnem partum accelerare, sed ut graviditas, partus et puerperium absque damno pro matre et foetu decurrant.



## ERRATA.

---

Pag. 7, versu 17, quod, *deleatur*.

» 9, » 19, ansteritatis *lege* austeritatis

» 21, » 6, ostinm » ostium

» 41, » 2, foliaceus; » foliaceus,

---



ERRATA

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a preface or introductory note.

Faint, illegible text below the title, possibly a list of corrections or a detailed explanation.

10	17	quod, edipis.
19	19	custodiantur per attentatam
21	6	osum
41	2	foliorum



Sandif. A.





34  
71

GLASGOW  
UNIVERSITY  
LIBRARY



